

Kenneth K. Mackenzie
Collection



1039



SERTULUM ORIENTALE

SEU

**RECENSIO PLANTARUM IN OLYMPO BITHYNICO, IN AGRO BYZANTINO
ET HELLENICO**

NONNULLISQUE ALIIS ORIENTIS REGIONIBUS

ANNIS 1849—1850

JOSEPHO CLEMENTI

IN GENUENSIS COLLEGII HISTORIAE NATURALIS PROF. COLLECTARUM



TAURINI

EX OFFICINA REGIA

1855.

OK321
C55

481750

C 81

13-75


Memorie della Reale Accademia delle Scienze

SERIE II. TOM. XVI.

10693

UNIVERSITY

LIBRARY



PRAEFATIO

Aestate 1849 Anconam oppidum, Austriacis eo ingruentibus, invite salutans, Corcyram insulam primum, deinde Graeciam, Thraciam, nonnullasque Asiae minoris regiones adivi. Ob Patriae conculcatae moerorem, profunde vehementerque animo fractus, studiis gravioribus impar, in hac mea peregrinatione colligendis stirpibus minus notis vel earum regionum rarioribus operam dedi.

Corcyrae litora omnia, ejusdemque montem altiorem *Pandokratora* nuncupatum, pluries investigavi.

Athenis deinde menses septem commoratus, planitiem paene universam, Piraei et Phalerei litora nec non montes *Parnis*, *Pentilicum* et *Hymettum* septentrionalem meridiionalemque perlustravi.

Eodem anno 1850, a vere exeunte in aestatem, Byzantii suburbia, terrasque remotiores Pontum Euxinum pertingentes, oram Bosphori orientalem

vel Bosphorum ultra Scutarianam ditionem ad *Ciamliciae* usque verticem, Katikioi (Chalcedonia) et Phanaraki litora, cunctis fere diebus, rimatus sum.

Quae omnia citra ultraque Bosphorum loca admodum argillosa, platanis aliquot giganteis, quae fontes diligunt et exornant, exceptis, sterilitate et vastatione miserimis affliguntur!

Augusto mense ejusdem anni Brussam asiaticam petii; et primum hujusce regionis colles occidentales ad pagum *Demerdesch* apricos et calidissimos, accurate investigavi. Deinde *Olympum* bithynicum conscendi et in regione abietum superiore occidentali-meridionali, et speciatim in tugurio Domini FALGESH, veluti in centro, ex quo loca pervaria singillatim perquirere minus arduum erat, per dies sexdecim commoratus sum.

Juga olympica a N. E. ad S. O. longe progrediuntur et in ipsam Brussam civitatem, sex circiter miliaris a mare dissitam, pedem ad meridiem immittunt. E latere S. E. sublationibus calcareis immanibus, stirpibus pretiosis superbientibus, mons conformatur. Ab latere opposito, idest N. O., rupes praeruptae, inferne graniticae, licet igneae, deteguntur; in quarum fragmentis dirutis et in convallibus coacervatis, rarissimae stirpes etiam hospitantur.

Ab excursionibus olympicis Byzantium redii, locaque illa omnia, vertente autumnno, rursus perlustravi. Brevi vero rerum orientalium satietate affectus, morum turpitudinem, ignaviam, insciam, miseriam incolarum fastidians, laboribus, molestisque innumeris defatigatus, Genuam, uti ad incolunitatis arcem cito me transtuli.

Opusculi jam tunc promissi editionem ad hanc usque diem protrahere coactus sum, sive ob suppellectilis ad definiendas stirpes defectum, sive ob aerumnas exilii; sed botanicos momenta hujusmodi aequo animo aestimatos, veniamque morae, invito animo protractae, mihi duros esse confido.

Gratias quamplurimas et toto ex corde ago clarissimis BOISSIER, DE NOTARIS, GAY, SAVI, SPACH, WEBB, qui consilio et opera sive in plantis denominandis, sive in herbariis celeberrimis perlubenter mihi patefaciendis, me in tenui labore adjuverunt. Eq. WEBBIUS autem multa alia officia, praesertim in *flora olympica exsiccata* divulganda, magnanime mihi praebuit. Prof. SAVIUS in Trifoliorum novis speciebus dignoscendis praestantem operam amicissime contulit. Et Prof. DE NOTARIUS collectionem universam, nec non illustrationes quas offero, summa doctrina ac amicitia excudendas curavit.

Nec brevitatis amore, nec multo minus ingrati animi causa, ea omnia quae, summa liberalitate, vel perrara in me amicitia, nonnulli humanissimi viri mihi in meo itinere impertiti sunt, obliviscar.

Et primum Doctorem BRILAM corcyrensem, qui meam in insula receptionem, tunc, pro eventibus adversis, arduam, summa alacritate explanavit, et deinde epistolas intimas ad iter per Graeciam prosequendum dedit, grato animo recorder. Praeclarae et nobilissimae Familiae Principis SUZI, METAXA, et MAUROCORDATO meum domicilium atheniense, exquisita urbanitate, sedatum dulceque fecerunt; et Dominus ORPHANIDIUS, nunc rei herbariae in illa Universitate Professor, in excursionibus semper mihi dux et comes carissimus fuit. Byzantii Dynastes TECCUS, Sardiniae Regni apud Osmanidos Minister praestantissimus benevolenter patrocinio suo mihi adfuit. Eq. Gaspar FOSSATI Architectus valentissimus et Familia ejus perexcellens animum mihi dederunt, meque domum apud se insigni liberalitate receperunt, nec non officia permulta in pervariis negotiis mihi praestiterunt. Idem dicam de Severino LEONIO medico exunio, qui amicissimus et perbenevolus semper mihi fuit. Brussae Dominus FALCHESUS me ospitio excepit et iter meum olympicum, plurimis facile reddidit.

De Osmanidis et aliis gentibus diversis Byzantii, sicut in bulga incomposita, commorantibus, quid dicam?? Dignitario SCHEFF-KED-BEY, Magno Cancellario NORIDYN-BEY, quorum benevolentia et animi liberalitas non dubiae fuere, honorem et grati animi significationem tribuo. Indigam populi partem etiam commemoro, quae, quamvis ignara et desidiosa, integra tamen et bona servatur.

Addo: hoc in meo Sertulo de plantis etiam haud novis adnotatiunculis magis abundare quam deficere praetuli; ex eo quod in re herbaria hodierna, ob diagnosium insufficientiam, absque speciminum autenticorum comparatione, nulla fere stirps certe denominari potest! Idcirco botanicos obsecro, non solum ut meas analyses benigno animo accipere velint; sed etiam ut et ipsi magis magisque in speciebus novis describendis accuratiores fieri studeant.

Quarundam specierum nomina in herbario exsiccato evulgata rejicere coactus sum, eaque in hoc opusculo brevitatis gratia ommissa sunt; unicuique, caeterum, obvium erit immutationes quae hic sunt dignoscere, synonymaque exacte conferre.

RANUNCULACEAE.

ANEMONE APENNINA L. Sp. 762.

Hab. Ad radices montis Pentilici atheniensis legi vere 1850.

Obs. A stirpe italica tantum laciniis foliorum oblongo-obtusiusculis subintegerrimis, nec lanceolatis inciso-dentatis, recedit.

ANEMONE HORTENSIS L. Sp. 761.

Hab. Crescit ad margines agrorum planitie atheniensis et floret vere.

Obs. Segmenta foliorum valde ludibunda observavi.

ANEMONE CORONARIA L. Sp. 760.

Hab. Iisdem in locis cum praecedente legi vere.

Obs. Segmenta foliorum rarius dentato-mucronata plerumque obtusiuscula sunt.

Prope Piraeum ath. *A. coronariae* varietatem performosam, floribus maximis intense coccineis, legi etiam primo vere.

CLEMATIS FLAMMULA L.

Hab. Atticae, ad Kiephyssum flumen.

CERATOCEPHALUS FALCATUS PERS.

Hab. Abunde crescit in arvis circa Athenas, ubi legi vere et aestate incipiente.

Obs. Magnitudine varius, pedunculos etiam fructificantes interdum abbreviatis, in anthesi niveo-lanatos, fert.

FIGARIA CALTHAEFOLIA RCHB.

Hab. Atticae; locis humentibus.

FIGARIA RANUNCULOIDES MOENCH.

Hab. In herbis byzantinis.

RANUNCULUS CAMOZZIANUS mih.

R. caule unifloro erecto, subtortuoso, leviter striato piloso, basi fibris erectis vestito; foliis radicalibus pinnatisectis, segmentis cuneato-

incisis, laciniis lanceolato-linearibus integerrimis dentatisve; caulinis duobus tribus sensim sessilibus linearis-incisis; sepalis laxiusculis patentibus pilosis, apicem versus nudis; toro piloso; petalis amplis luteo-croceis, obovato-cuneatis, integerrimis; carpellis nudis semiovato-rotundatis, stylis subcircinnato-uncinatis.

R. dissectus AUCH.! ad specimina Aucheriana in herb. Mus. Paris. non M. B. — *R. dissectus* β . *glabrescens* BOISS.! ad specimina PINARDI in herb. WEBB.

Hab. Legi in loco humente in regione alpina Olympi bith., ubi cum *Stellaria cerastoïde* promiscue crescit et floret Augusto mense.

RANUNCULUS AQUATILIS Sp. *varietas*.

Hab. Legi semel in aquis stagnantibus prope Byzantium, aestate.

Obs. Folia emersa vix 3-loba, lobis vix et irregulariter lobulatis; immersa saepius trichotoma.

RANUNCULUS OPHIOGLOSSIFOLIUS VILL.

Hab. Legi cum praecedenti eodem tempore.

ADONIS AESTIVALIS L.

Hab. In arvis Atticae.

NIGELLA DIVARICATA BEAUPRÈ.

Hab. Una vice mihi occurrit in collibus *Demerdesch* ditionis Brussianae. Solo glareoso et calcareo delectatur. Floret Julio et Augusto.

DELPHINIUM JUNCEUM DC.

Hab. Legi aestate in insula Corcyra, ubi laete viget et ex coespiti-
bus compactis ramos numerosissimos vimineos edit.

DELPHINIUM PEREGRINUM ALL.

Hab. Legi in collibus Brussianis aestate decedente. A stirpe Dal-
matica haud diversum.

BERBERIDEAE.

LEONTICE LEONTOPETALUM W.

Hab. Frequenter occurrit primo vere in arvis circa Athenas.

BERBERIS CRETICA L.

Hab. In Monte Parnis.

PAPAVERACEAE.

PAPAVER PILOSUM SIBTH. et SM. DC. Syst. 2. p. 80.

Hab. In Olympo bith. una tantum vice reperi iisdem in locis ubi primum id detexit cl. SIBTHORP, seriusque AUCHERUS. Augusto vertente.

Obs. Stirps venusta, in locis apricis robusta, villosa-argentea, in umbrosis gracillima calvescens: variat insuper petalis aurantiacis, stigmatibus 6-8-radiato, nec semper 6-radiato, pilis rigidis fere strigosis, nec simpliciter pilosum.

PAPAVER RHOEAS L.

Hab. In arvis byzantinis sterilibus tota aestate.

Obs. Hujusce speciei varietas tantum perpusilla, etiam statura sesquipollicaris mihi circa Byzantium occurrit. Ei sunt folia varie incisa; laciniis seta longiuscula praeditis, flores pro planta grandiusculi, pedunculi filiformes.

HYPECOUM LITORALE WULF.

Hab. In sabuletis prope Phalereum athen. legi primo vere.

Obs. Plerumque perpusillum et arena mobili suffocatum.

HYPECOUM GRANDIFLORUM L.

Hab. In arvis circa Athenas ubique frequentissimum occurrit primo vere.

FUMARIACEAE.

FUMARIA MACROCARPA Boiss.!

Hab. In cultis collinis humilioribus ad radices montis *Cabetis* athen. primum vere cum sequenti specie promiscue crescit et floret.

Obs. A *F. micrantha* non solum fructibus plus minusve grandioribus, sed forma foliorum, glaucescunt, facieque propria apte distinguitur.

FUMARIA MICRANTHA LAGASC.

Hab. Cum praecedenti ut diximus.

Obs. Variat subinde pusilla, simplex, subindeque elatior et valde ramosa, sed semper floribus minimis et pinnis foliorum minutissime sectis praedita.

CRUCIFERAE.

MATTHIOLA MONTANA Boiss.!

Hab. Legi Augusto in declivitatibus alpinis Olympi bith., orientem versus.

Obs. Fruticulus ramis tortuosis, decumbentibus. Flores petalis lineari-oblongis, apice contortis, sordide purpurascensibus ornantur. Siliquae maturae subglabratae, compressae, stigmatibus trilobis sessilibus terminatae, ultra decimetrum longae, ramos longitudine aequantes vel superantes, juniores ut folia niveo-lanatae. Cum specimenibus herb. Mus. Paris. ab AUCHERIO in Cappadocia lectis sufficienter quadrat, sed petala utriusque comparare non contingit.

CHEIRANTHUS JACOMELLI mihi.

Hab. Legi in pratis saxosis planitie alpinae Olympi bith. latere N. E. Augusto mense, fructu plene maturo.

Radix perennis, longissima, descendens. Rami, ortu hypogeo, plures, radiceformes, repentes, parte exserta foliorum petiolis arefactis duris vestiti; deinde confertim adsurgentes erecti, simplices, sublignosi, anguloso-striati, pilis bipartitis adpressis haud crebris ad flores usque scabridi.

Folia inferiora fasciculato-congesta, vix carnosula, angustissime et obverse lanceolato-linearica, vel linearica anguste spathulata in petiolum longum basi dilatatum carnosulum attenuata, obtusiuscula, pilis bipartitis arete adpressis scabriuscula; superiora sensim rariora linearica-conformia subtrinervato-carinata. Flores? Pedunculi fructus solitarii, m. 0,01 remoti, sparsi ebracteati, erecto-patentes, m. 0,006 ad m. 0,008 longi. Torus conspicuus, cicatrice exteriori luteola. Siliqua matura m. 0,07 ad m. 0,08 longa exacte complanata m. 0,003 circiter lata, utrinque sensim angustata, pilis ut caules et folia adpressis subscabrida; valvis nervo prominente diremtis, inferne in dissepimenti conjunctione parce callosis. Stylus persistens m. 0,005-0,006 longit. aequans, inferne more siliquae pilosulus plus minusve purpurascens, superne lutescens; stigmati lobi parvi erecto vel complanato-patentes. Semina breviter alata! Cotyledones-accumbentes!

Obs. A Ch. Cheiri toto coelo distinctus; nulli ex speciminibus orientilibus in herb. Mus. Paris. et WEBBII a me collatis similis.

ARABIS HIRSUTA L.

ARABIS THALIANA L.

Hab. Ad Bosphorum.

ARABIS DRABAEFORMIS BOISS. ! non *A. Boissieri* GRISEB.

Hab. Declivitatibus saxosis nivae perpetuae proximis in Olympo bith. delectatur. Floret Aug. mens.

Obs. Surculi sunt abbreviati erectiusculi, nec elongati repentes ut in *A. Boissieri Fl. rumel.*; folia ovata spathulata, nec elliptica; corolla calyce triplo, nec duplo longior.

Stirps stolonibus multiplicibus abbreviatis remotis, caulibus filiformibus nudis, rigidis, lucentibus facie singulari et distincta.

ARABIS ALPINA OLYMPICA CLEM. — *A. Thyrsoides* SIBTH.

Hab. In regione alpina Olympi bith. legi Augusto.

Obs. Habitu, foliorum margine arguto denticulorum forma, indumento *Arabidi alpinae* persimilis; differt tamen statura humilior, valvis fructus nervo prominente exaratis, seminibus, in fructu saltem immaturo, vix membranaceo-marginatis.

CARDAMINE HIRSUTA L.

Hab. Atticae et Byzantii.

MALCOLMIA INCRASSATA DC.

Hab. Ad litora maris prope Piraeum ath. vere floret.

Obs. Folia inferiora haud mucronata; pili simplices non stellati. Tota planta in locis sterilibus et siccis contracta, rigida; et contra in locis umbrosis vel humentibus elatior, foliis, caulibus elongatis, floribusque gracillimis.

SISYMBRIUM ORIENTALE L.

Hab. Ad muros in ipsa urbe Byzantii tota aestate occurrit et floret.

SISYMBRIUM POLYCRATIUM L.

Hab. Crescit ad vias in ipsa Scutari asiatica et floret tota aestate.

RAPHANUS LANDRA MORETT.

Hab. Circa Byzantium.

BRASSICA ERUCA L.

Hab. Circa Athenas. Planta 2-3 pollicaris, caule simplici.

ERYSIMUM RUPESTRE DC. Syst. 2. 494. — *Cheiranthus olympicus* SIBTH. ex DC.

Hab. In Olympi bith. pratis alpinis editioribus N. E. prospicientibus mense Augusto legi.

Obs. Planta mea eadem ac homonyma in herbariis celeberr. WEBBII asservata; sed foliis saepius runcinato-dentatis, potius quam denticulatis, petalorum lamina ungue multo brevior, a descriptionibus CANDOLLEI et GRISEBACHII (Fl. rum. 1. p. 261.) nonnihil recedit.

ERYSIMUM CUSPIDATUM DC.

Hab. Specimina bipedalia et ultra inter saepes prope Brussam fructificantia legi Augusto mense.

AURINIA ORIENTALIS GRISEB.

Hab. In monte Cabeto ath.

ALYSSUM TORTUOSUM W. K. *pumilum* CLEM.

Hab. In saxosis editioribus Olympi bith. legi Augusto mense.

Obs. Differt a specie caulibus a basi ramosis, tortuosis, pollicem longitudine vix excedentibus, racemis simplicibus, filamenta omnia appendiculata!

Species forte distincta, sed deficientibus siliculis maturis plura addere nequeo.

ALYSSUM EROSULUM GENN. et PESTAL. ined.

A. pube stellata incanum; caulibus adscendentibus lignoso-suffruticosis; ramis simplicibus erectis; sterilium abbreviatorum foliis densis spatulatis vel obverse lanceolato-ellipticis basi angustatis, fertilium angustioribus; racemis floriferis brevibus, fructiferis demum elongatis; petalis sepalis varie ovatis deciduisque sesquolongioribus, dorso pube stellata serius subevanescenti incanis, margine crenulato-dentatis; filamentis irregulariter alato-unidentatis vel subbidentatis; siliculis junioribus rotundatis pedicellis stylisque superne glabrescentibus brevioribus, maturis rotundato-oblongis emarginatis convexo-planis illos subaequantibus; seminibus minutis, exalatis, nigris.

Hab. Ipse legi in Olympi bithynici regione alpina humiliori. PESTALOZZA in Asiae Minoris *Adalia* prope *Berebet-Day*.

Obs. *A. Wulfenianum* BERNH. differt ab *erosulo*, cui valde affine, praesertim siliculis glabris stylo duplo brevioribus, filamentis ala bidentata appendiculatis, seminibus magnis subexalatis (GRISEB. Fl. rum. 1. 276.). *A. Wulfenianum* β . *suffruticosum* Boiss. l. c. differt caulibus repentibus, filamentis majoribus edentatis, aliisque speciei notis supra comparatis. Tomentum stellatum in *A. erosulo* omnes partes, staminibus stylorumque superiori parte exceptis, obtegit. Semina in unoquoque loculo duo; e latere valvae convexae maturescentia, e latere opposito sterilia. Specimina Pestalotiana magis quam Olympica adnotantur lignosa, contracta, et incana.

NEESLIA PANICULATA DESV.

Hab. Atticae.

CLYPEOLA JONTHLASPI L.

Hab. In agro atheniensi legi aestate.

CLYPEOLA GLABRA Boiss. *Ann. Scient. naturell. XVII. p. 173.* —
WALPERS Repertor. I. p. 146.

Hab. In iisdem locis ac praecedens nec rara.

Obs. Siliculae emarginatae, in centro elevatae, perfectae glabrae, duo millimetra cum dimidio diametro vix excedentia. Herbula pusilla, a basi ramosa, vix bipollicaris, ramis filiformibus varie flexuoso-ascendentibus; tota in caulibus, foliis, calycibusque pilis stellatis adpressis confertis vestita.

BUNIAS ERUCAGO L.

Hab. Atticae.

DRABA MURALIS W.

Hab. Ad aggeres prope Bosphorum vulgatissima primo vere.

Obs. Tota planta pilis subtrifido-stellatis scabra; siliculis lineari-ellipticis pedunculisque iis longioribus glabris; foliis sessilibus cordatis, nec amplexicaulibus ut in Pers. Synops.

DRABA VERNA L.

Hab. In Attica et ad Bosphorum vulgatissima.

DRABA OLYMPICA SIETH.

Hab. Legi in saxosis calcareis regionis alpinae Olympi bith. ubi copiose crescit et floret. Julio, Augusto.

Obs. Planta nostra cum speciminibus herbar. WEBBII, a BOISSIERO in Olympo bith. lectis, ad unguem convenit; sed a diagnosi Flor. rumel. divergit partibus omnibus piloso-scabris, nec *scapis pube molle velutinis, siliculis pubescentibus.*

TEESDALIA LEPIDIUM R. BR.

Hab. Reperi in collibus constantinopolitanis ubi et AUCHER legit secundum BOISSIER. Floret primissimo vere.

THLASPI CAMPESTRE L.

Hab. Ad aggeres circa Byzantium.

THLASPI PERFOLIATUM L.

THLASPI BURSA L.

Hab. Atticae et Byzantii.

IBERIS NANA ALL.!

Hab. Ad nives deliquescentes in declivitatibus Olympi bith., substrato calcareo; floret Augusto mense.

Obs. Folia in nostra, quae cum speciminibus jampridem a BOISSIERO in Olympo ipso lectis, aliisque in herbariis cl. WEBBI extantibus omnino convenit, integerrima, inferiora earundem spatulata, superiora obverse oblonga ciliolata observantur.

LEPIDIUM SPINOSUM L.

Hab. Legi Julio mense in pascuis collinis constantinopolitanis.

Obs. Planta antheseos tempore gracillima, fructifera autem robusta, alienae prorsus faciei. Siliculae perfectae oblongae ad basim callosobigibbae, apice ex alis oblongis obtusiusculis, sinu divergenti distinctis, emarginatae.

Huic affine *Lep. cornutum* a BUXBAUMI prope S. Stephanum ad Byzantium lectum, ex Fl. rumel. I. p. 284., mihi haud visum.

SENEBIERA CORONOPUS PERS.

Hab. In collibus byzantinis.

EUNOMIA CHLORIFOLIA DC.!

Hab. In Olympi bith. calcareis alpinis, ubi et SIBTHORPIUS, florentem et fructificantem reperi Augusto mense.

Obs. Cum speciminibus autenticis herb. Webbiani mea comparata exacte quadrant.

Sepala oblonga, obtusa, atropurpurea; petala obovata, breviter unguiculata calyce plus quam duplo longiora, albo-carnea, venis plus minusve sature purpureis exarata.

HUBRIETIA DELTOIDEA DC.

Obs. Diagnosis hujusce speciei, ex speciminibus in Olympi bithynici valle Gögderè provenientiibus a cl. GRISEBACHIO (Fl. rum. 2. p. 208.) conscripta, in plantam nostram in regione ejusdem montis sublimiore

collectam exacte non quadrat; idcirco ad plenioris speciei quammaxime versatilis historiam pauca quae ipsemet observavi silentio praeterire nequeo.

Folia sunt spathulata vel obovato-elliptica, obtusiuscula, in petiolum brevem attenuata, denticulo uno vel paucis obsolete notata, saepius integra, nec *spathulata acuta 3-5-dentata* (Fl. rumel.). Pediculi longitudine varia, nec *calyces subaequantés*. Stamina longiorum ala uno latere infra apicem filamentum abrupte truncata altero sensim desinens, breviorum dens lineari-lanceolatus obtusiusculus erectus, nec *staminum longiorum ala* (totaliter?) *abrupte truncata*, *breviorum dens acuminatus*. Siliculae juniores stylo breviores, maturae illo longiores, nec *semper parum breviores*. Semina oblique ovata, nec tantum *ovalia*, cui striato-rugulosa secundum nostra specimina addendum.

Tota planta scabriuscula, pilis plus minus stellato-ramosis, in siliculis densis, reliquis partibus rarioribus.

HUTCHINSONIA PROCUMBENS DC.

Hab. Abunde provenit in arvis humentibus prope Phalereum atheniense, vere.

In iisdem locis occurrit subsimplex, erecta, pusilla, vel palmaris et ultra, ramosissima, ramis implexis.

CARRICHTERA VELLAE DC.

Hab. Hanc pulcherrimam speciem prope Piraeum atheniense in ruderatis hortorum uno loco legi. Floret Martio mense.

C I S T I N E A E .

CISTUS LAURIFOLIUS L.

Hab. In Olympi bith. regione fagi haud frequens reperitur.

CISTUS VILLOSUS L.

Hab. In declivitatibus apricis ejusdem montis crescit. Legi quoque in insula Coreyra ubi folia magis rotundata, spissiora, magisque reticulato-nervosa observantur.

CISTUS SALVIFOLIUS MICROPHYLLUS CLEM.

Hab. Legi in atheniensi Monte-Pentilico. Ramosissimus, foliis minutissimis subglabratiss.

HELIANTHEMUM PILOSUM BENTH.

Hab. In Olympo.

FRANKENIACEAE.**FRANKENIA HIRSUTA W.**

Hab. Ad litora maris prope Kalamaki ultra isthmum Corinthi copiose crescit. Rami numerosissimi, radiciformes, sub solo intricati. Legi aestate.

VIOLARIEAE.**VIOLA GRACILIS SIBTH. et SM.**

Hab. Legi in Olympo bith. Augusto mense infra saxa nives perpetuas ambientia.

Obs. Planta pusilla, floribus maximis luteis ornata.

VIOLA TRICOLOR OLYMPICA GRISEB. Fl. rum. 1. p. 237.

Hab. In sylvulis abietinis inferioribus Olympi bith. Floret Augusto mense.

VIOLA SYLVESTRIS LAMCK.

Hab. Legi vere in agro byzantino.

RESEDAEAE.**RESEDA LUTEA L.**

Hab. Prope Phanaraki ultra Scutarim.

DROSERACEAE.**PARNASSIA PALUSTRIS L. var. nudicaulis CLEM.**

Hab. Crescit rara in pratis alpinis humidioribus Olympi bith. Legi Augusto.

Obs. Caules aphyllus et staturam minorem quam species praebet.

S I L E N E A E .

GYPSOPHILA OLYMPICA Boiss. ! Diagn. 8. 55.

Hab. Legi Augusto in cacuminibus alpinis inferioribus Olympi bith.

Obs. Calycis 5-angularis squamuloso-furfuracei dentes rubentes, subacuminati, margine scariosi, tubo membranaceo duplo breviores. Petala purpureo-coerulea, obverse lineari-lanceolata, antice rotundata, lamina in unguem gradatim attenuata. Styli duo. Stamina decem, una cum petalis carpophori apice inserta. Ovarium oblongum obtusum. Reliqua ut in BOISSIERI Diagn. l. c.

TUNICA OLYMPICA Boiss. !

Hab. Legi una vice in declivitatibus argilloso-calcareis ab aquis exaratis regionis subalpinæ Olympi bith. Floret Augusto.

Obs. Planta gracilis uni raro bispithamea, floribus paniculatis solitariis, calycibus exacte obconicis, nervaturis quinque validis praeditis. Gipsophilarum faciem omnino ostendit.

TUNICA ORFANIDESIANA mihi.

T. caulibus basi lignescentibus, ramisque primariis irregularibus, nodosis, tortuosis, implexis; ramis annotinis simplicibus alterneve superne ramosis, rigidiusculis, obtuse quadrangulis, glabris; foliis inferioribus approximatis, subfasciculatis, carnosulis, margine serrulato aculeolatis, obtusiusculis, ramorum annotinorum connatis abbreviatis fere squamaeformibus, in sicco, nervo excepto, omnino scariosis, plus minusve acuminato-mucronatis; florum fasciculis terminalibus solitariis vel subracemoso-paniculatis; bracteis ovatis, interioribus magis magisque latis, omnibus nervo valido carinato-mucronatis, reliqua parte scariosis; pediolis obconico-incrassatis, sesquimillimetrum longis; calycibus 5-fidis scariosis, laciniis obtusiusculis dorso 3-nerviis; petalis obverse lineari-lanceolatis stamina aequantibus subexsertis, lamina in unguem sensim attenuata; capsulis oblongis inclusis, valvis maturitate superne truncatis; seminibus orbiculato-membranaceis.

Hab. Ad rupium calcarium fissuras in summo cacumine Montis Parnis atheniensis, comite cl. Profess. ORPHANIDES, novembr. 1849, cum fructibus perfecte maturis legi.

Folia sesquimillim. lata, 12-16. millim. longitudine metientia. Fasciculi florum capituliformes obconici, bracteis fructu maturescente stramineo-pallescentibus. Tota planta spithamam vix altitudine superat. Folia semper carnosula et mollia more salsolarum servantur. Caules autem arefactione fragilissimi fiunt. Petala persistentia ex sicco purpurascencia et concolora iudicanda.

Obs. *Tunicae dianthoidi* F. et M. affinis. Ab ea differt praecipue capitulis maioribus; floribus numerosioribus compositis, bracteis latioribus, minus tenuiter scariosis; caulibus robustioribus; foliis carnosulis latioribus, margine serrulato-aculeolatis.

DIANTHUS HUNGARICUS PERS. *ex Fl. rumel.*

Hab. Crescit haud frequens in pascuis alpinis Olympi bith. et floret Augusto.

Obs. Planta gracilis; petalorum lamina maxima, magis quam in *D. plumario* profundissime crispato-lacera, arefactione contracta.

DIANTHUS PALLENS SIBTH.

D. perennis, glaucescens; caulibus caespitosis, adscendentibus erectisque, glabris, simplicibus subindeve alterne dichotomis, ramisque unifloris; foliis nervosis, margine cartilagineo denticulato-scabriusculis, linearibus, acutis, flaccidis, internodio brevioribus, vaginis latitudinem folii aequantibus, radicalibus latusculis; bracteis 4-8., interioribus obovatis ex apice obtusissimo breviter acuminatis, margine scariosis, exterioribus angustioribus, calyce profunde 5-dentato, tenuiter striato, elongato, a basi in anthesi sensim angustato, quadruplo brevioribus; petalorum lamina cuneata! profunde obtuseque dentata excisave, glabra, intus alba, extus sordide purpureo-virente; seminibus badiis depressis, subdiscoideo-peltatis, vertice umbilicatis, undulatis.

Dianthus leptophyllus WILLD. Enum. 1. p. 468? — GRISEB. Fl. rumel. 1. p. 191.

Dianthus pallens URVIL. Enum. 302.

Dianthus pomeridianus FRIV. ex GRISEB.

Hab. Species passim obvia in insula Corcyra, in Graecia, agro constantinopolitano atque in Asiae minoris regionibus occidentali-borealis, ad vias collinas, in aggeribus apricis etc. Floret aestate.

Flores aperiuntur vespere, clauduntur mane hora perquam mutabili.

Petala in alternatione somni et vigiliae plus minusve convoluta observantur.

Obs. Cl. GRISEBACH (l. c.) *Dianthus pallentem* SM. et URVILLEI, *D. pomeridianum* FRIVALDSKI uno nomine *D. leptopetali* WILLD. complectitur. De identitate *D. leptopetali*, qui a *pomeridiano* bracteis ovatis acutis brevissimis, petalis lanceolatis, foliis subulatis prae aliis distingueretur, deficientibus mihi speciminibus speciei Willdenowianae cum cl. Florae rumelicæ Auctore haud certabo; sed cum eo *D. pallentem* et *pomeridianum* unam eandemque constituere speciem minus dubito, ejusdemque sententiam, observationibus a memetipso in itinere meo ab insula Coreyra per agrum hellenicum et rumelicum et in Asiam minorem circa hanc plantam peractis confirmare gaudeo.

Dianthus pallens late per orientem patens, sistit speciem quammaxime mutabilem, tum hora qua flores vigilant, a vespere nempe ad diluculum varia, cum statura a spithama ad pedem et ultra, vel caulibus simplicibus ramosive, vel forma et numero bractearum in iisdem caespitibus varia, vel petalis plus minusve dentatis, vel demum foliorum latitudine.

Ipsè immo, lusibus hujusce speciei perspectis, quae tamen moribus et moerore, ut ita dicam, faciei facile a congeneribus dignoscitur, nonnullas alias *Dianthorum* orientalium species a nuperioribus descriptas huic subscribendas esse autumo.

DIANTHUS PUBESCENS SM.

Hab. Legi vere decedente in cultis collinis prope Bosphorum.

Obs. *Dianthus pubescens fasciculatus* GRISEB. Fl. rumel. 1. p. 190, in Macedonia australi proveniens, differt à specie, a BOISSIERIO etiam prope Byzantium observata: foliis constanter 3-nerviis nec 3-5-nerviis, vaginis folii latitudinem 2-3-plo superantibus, calyce glabro et superne scabriusculo, bracteis calycem dimidium aequantibus.

Dianthus deltoides Macedoniae incola differt a nostro foliis obtusiusculis nec acutis, bracteis breviter nec longe aristatis tubo duplo nec quadruplo brevioribus, lamina ovato-oblonga nec cuneato-rombea.

DIANTHUS LEUCOPHAeus, MACROPETALON CLEM. Pl. olymp. exs.

D. caulibus caespitosis repentibus; ramis unifloris adscendentibus; foliis 3-multinerviis abbreviatis, rigidis subpungentibus, inferioribus subim-

bricatis, margine scabriusculis, caulinis glabris, vagina brevi; bracteis quatuor, interioribus ovatis, exterioribus angustioribus, calycis striati apice constricti tertiam partem aequantibus; petalorum lamina irregulariter dentata, extus viridi-purpurascenti.

Hab. In Olympi bith. declivitatibus alpinis legi Augusto mense.

Obs. *Dianthus leucophaeus* SM. (GRISEB. Fl. rumel. 1. p. 193.) ex speciminibus olympicis, in ditissimo herbario celeb. WEBBII observatis, recedit a varietate nostra bracteis omnibus late ovatis, calycem dimidium aequantibus, petalis minoribus eorundemque lamina 3-crenata.

DIANTHUS VELUTINUS GUSS.

β. *contractus* CLEM.: compacte caespitosus, caulibus dimorphis, abbreviatis, brevissimisque monocephalis, vel elongatis polycephalis.

Hab. Utraque varietas α. β. primo vere et aestate in cultis collinis prope Byzantium crescit.

Varietas α. pro aetate se praebet caulibus indivisis monocephalis, vel ramosis polycephalis.

DIANTHUS CIBRARIUS mihi.

D. caulibus basi ramoso-caespitosis, adscendentibus, quadrangulis, plerumque laevibus; foliis inferioribus congestis, linearibus, rigidis, pungentibus, multinerviis; caulinis late linearibus, internodiis multo brevioribus; vaginis dimidiam longitudinem foliorum subaequantibus; cyma fasciculata 4-10-flora, bracteis obovatis ex apice rotundato mucronato-setaceis, scariosis, nervosis, superne validioribus, plus minusve sanguineo-purpurascensibus exaratis, dimidium calycem tegentibus, mucrone auctis illum subaequantibus; calycibus glabris, profunde 5-dentatis, dentibus lanceolato-linearibus, acutis, conspicue nervosis, ciliato-puberulis tuboque superne atro-sanguineis; petalorum lamina cuneata, antice dentata, purpurea, basi pallidiori, intus pilosiuscula unguibus triplo brevior.

Hab. Copiose occurrit in convalle quadam alpina Olympi bith. latere S. E. Floret Augusto mense.

Obs. Fasciculorum sectionis plurimis speciebus in herb. cl. WEBBII et Mus. Paris. a nobis perpensis Dianth. noster affinis; sed nulli exacte convenit.

Foliis abbreviatis, rigidis, pungentibus, stolonum approximatis fortiterque nervosis praecipue distinguendum est. Pulcherrima stirps!

SILENE OLYMPICA Boiss. ! Diagn. 1. p. 24. GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 502

Hab. Copiose provenit in declivitatibus lapidosis alpinis Olympi bith. a nivibus perpetuis non longe in latere N. O.

Rhizoma ligneum, tortuosum, multiceps; ramis contractis, elongatisve stoloniformibus gemmas eodem tempore floriferas homotinasque edentibus. Folia subcarnosula, in petiolum margine membranaceum attenuata, eximie connata, toto margine denticulis ciliiformibus, inferne recurvis instructa, caeterum glabra, inferiora conferta linearia, vel anguste oblanceolato-linearia, subinde subfalcato-secunda, ramorum floriferorum per paria remota, angustiora, lineari-subulata. Rami floriferi plerumque indivisi, stricti vix spithamei, thyrso paucifloro conferto racemiformi terminati. Bracteae ut folia connata e basi dilatata attenuatae, ovato lanceolato-ve subulatae, margine membranaceae, ciliatae, disco nervis rubescentibus exaratae. Pedunculi 2-3-flori, bracteas aequantes, pedicellorum intermedio nudo, lateralibus 2-bracteatis. Calyx obconicus, lucido-rubescens, membranaceus, 10-nervius, nervis 5 alternis tenuioribus, limb. 5-dentatus, dentibus triangulari-ovatis, obtusis, margine membranaceis, ciliolatis. Petalorum unguis 3-nervius, ciliatus, calycem subaequans, lamina 2-fida, luteola, viscida. Stamina exserta, filamenta stylique inferne villosa. Capsula maturitate breviter exserta, ovata, nigropunctata (?). Semina ambitu fere toto canaliculata, subundulata, rugosaque, fusco-cinnamomea. Species eximia!

Planta viridis supra medium viscosissima.

SILENE FALCATA Sm.

Hab. Copiosissime provenit in declivitatibus calcareis meridionalibus regionis alpinae Olympi bith. et floret Augusto.

Obs. In nostris speciminibus omnes plantae partes piloso-glandulosae sunt. Dentes calycini potius lanceolati et margine scarioso ovato-obtusati, quam *triangulares* denominandi. Petala facie albescentia extus livida, nec *concolora ochroleuca*. Tandem stamina omnia, nec *quinque* tantum exserta.

SILENE INFLATA Sm.

Hab. In Olympi bith. reg. alpina. Tota planta laevis plus minusve glaucescens.

SILENE PENDELICA Boiss.!

Hab. Una vice mihi occurrit in monte Pentilico atheniensi, primo vere.

Stirps parvula et elegans.

SILENE SERICEA All.

Hab. Cum praecedente.

SILENE SPINESCENS Sm.

Hab. Legi in monte Hymetto atheniensi.

SILENE DICHOTOMA Ehrh.

SILENE QUINQUEVULNERA L.

Hab. In collinis agri constantinopolitani.

VELEZIA RIGIDA L.

Hab. In declivitatibus collinis sterilioribus prope Byzantium haud rara occurrit aestate.

A L S I N E A E.

SPERGULA PENTANDRA L.

Hab. Abunde crescit in collibus prope Byzantium vere et aestate.

SPERGULARIA PENTAGONIA DC.

Hab. In cultis et in sterilibus byzantinis frequenter crescit magnitudine admodum varia. Floret tota aestate.

ALSINE JUNIPERINA FENZL. ex LEDEB. Fl. ross. 1. 346. — *Arenaria juniperina* L. — *Alsine nodosa* Vis. Ill. pl. Graec. et As. min. Atti del Congresso di Torino p. 180. — *Arenaria nodosa* Bory et Chaub. Exped. Mor. Botan. p. 125.

Hab. In declivitatibus orientalibus regionis alpinae Olympi bith. legi Augusto mense.

Obs. Ab *Aren. verna* Bartl. differt nervis sepalorum adproximatis, nec duo laterales a medio remotis; petalis ovatis nec lanceolatis; capsulis

calyce sesqui vel duplo longioribus, nec breviter exsertis; seminibus vix rugulosis, nec muricatis vel rugosis.

Alsine juniperinae specimina in Olympo bith. a me lecta characteres sequentes ostendunt, quos hic praebere lubet ut a speciebus superius memoratis plantae nostrae diversitas clarius innotescat.

A. caule suffrutescente, abbreviato, ramoso, caespitoso, ramis numerosissimis adscendentibus; floriferis elongatis, sterilibus internodiis abbreviatis robustioribus, foliis pedunculisque plus minusve glanduloso-pilosis; foliis rigidis acuminatis, subulatis, falcatis, supra canaliculatis, subtus trinerviis (licet bisulcatis), ad genicula nodosa laxe connatis; cymis plerisque bis trifidis fastigiato-corymbosis; pedunculis lateralibus trifloris, pediculis piloso-glandulosis calyce longioribus, intermedio terminali unifloro; calycibus ovatis; sepalis conniventibus ovato-lanceolatis, acuminato-cuspidatis, trinerviis, margine cartilagineis; petalis albis calyce tertia parte duplove longioribus, ovatis, obtusis, ungue brevi; capsulis 3-valvibus calycem sesqui vel duplo superantibus, valvulis demum apice liberis obtusis; seminibus (more selenidum) foveolato-papillosis vel rugosis, margine dorsali dilatato subbialato.

ALSINE ERYTHROCEPHALA BOISS. ! Diagn. 8. p. 98.

Hab. Cum sequenti specie in Olympi bith. regione alpina promiscue crescit et floret.

Obs. Ludit statura interdum pygmaea interdum elatiuscula. Quae ipse legi specimina a Boissieriana quidquam divergunt: sepalis 3-nervato-carinatis reapse bisulcatis, sulcisque intense viridibus, reliqua parte ex albo purpurascens; foliis brevibus, robuste ciliatis; caulibus pilis brevissimis glanduloso-viscidulis plus minusve adspersis.

ALSINE HIRSUTA FENZL EX LEDEB., Fl. ross. 1. 346.

Hab. Augusto mense cum praecedente floret loco citato.

Obs. Gracillima elongata; sepalis magis quam in praecedenti lanceolatis, regulariter multinerviis, concoloribus, caulibusque superne hirsutis; hirsutiae minuta vix glandulifera; ciliis foliorum rarissimis vel nullis.

ALSINE TENUIFOLIA β . VISCOSA KOCH Syn. p. 125.

γ . *byzantina Clementi*: pusilla; valde caespitosa, contracta et parce ramosa; foliis basi membranaceo-dilatatis, connatis; cymis contractis,

congesto-corymbosis, pedioli vix calycem aequantibus; sepalis distincte trinerviis, piloso-glandulosis; capsulis exsertis.

Hab. In proximitatibus Byzantii ultra *il Gran Campo* legi; quo loco crescit etiam var. β . statura multo proceriore, caulibus gracilibus et magis ramosis; pedunculis divaricatis solitariis, aut tantum in dichotomiae axilla duobus vel tribus. Insignis!

ARENARIA ROTUNDIFOLIA M. B. LEDEB. FL. ROSS. 1. 369. — Fl. rumel. 1. p. 203.

Hab. In regione abietis Olympi bithynici ad rivulos. Augusto.

Obs. Bracteae oblongae vel ellipticae parvae, bracteolae lineares, subulatae, canaliculatae, basi ut petioli ciliolatae. Sepala ovata in apicem obtusiusculum, mucronulatumve sensim angustata, nervis, lateralibus praesertim, tenuissimis sub 1-nervia, margine albo-membranacea. Petala alba, oblonga, obtusa, in anthesi sepala aequantia. Antherae sub apice filamenti insertae, loculis discretis. Styli 2-5, ut plurimum 3. Capsula matura calycem aequans, late ovata, obtusa, glabra, inferiori parte submembranacea, semi 4-valvis, valvulis chartaceis, integris, bifidisque dehiscens. Semina plurima compressiuscula, subrotundo-reniformia, badia, sub vitro eximie rugulosa, funiculis centralibus, longiusculis, filiformibus fasciculatis adfixa.

De reliquo conf. Fl. rossicam et Fl. rumelicam.

ARENARIA SERPYLLIFOLIA GLANDULOSA KOCH.

Obs. In speciminibus nostris byzantinis pili totius plantae et praecipue sepalorum minutissime glanduliferi et quasi muniliformes adnotantur. Legi in sterilibus aestate.

LEPIGONUM MEDIUM WAHLENB. KOCH Syn. 1. 121. — *Arenaria marina* ROTH.

LEPIGONUM RUBRUM WAHLENB. KOCH l. c. — *Arenaria rubra* a. L.

Hab. Abunde crescunt in collibus siccis prope Byzantium. Florent tota aestate.

Obs. Folia in *Lepigono rubro* linearia vix carnosula submucronulata, cylindraco-compressa, arcuata. Stipulae scariosae amplexicaules, connatae. Capsulae calycem subaequant. Petala dilute purpurascens. Semina omnia aptera, margine tumido cincta, sub vitro obsolete muriculata,

Variat glabra, totaque piloso-glandulosa, ramis prostratis adscendentibusve. Formae majores, glanduloso-hirtae, habitu ad arenariam macroryzam accedunt, sed semina in nostra quantum videre licet omnia aptera.

MOENCHIA MANTICA BARTL.

Hab. In collibus apricis ultra *il Gran Campo di Costantinopoli* abunde provenit; nec ulla nota differt a planta in sylva Mantica veronensi primitus lecta. Floret primo vere.

CERASTIUM GRANDIFLORUM W. K. var. *glabratum* Boiss. in litt.

Hab. Legi in declivitatibus subalpinis Olympi bith. Aug. mense.

Obs. Tota planta pilis reflexis, basi submembranaceo-furfuraceis scabriuscula.

CERASTIUM VISCOSUM L.

Hab. Legi in collibus byzantinis, ubi formam perhumilem praebet.

CERASTIUM PILOSUM Fl. graec.

Hab. In pascuis sterilibus atheniensibus tota aestate undique provenit.

Obs. Variat statura pygmaea et subspithamea. In planta elatiori pili minis densi sed constanter patentes, candidi, longissimi extant.

CERASTIUM LANATUM LAMCK.

Hab. In monte Parnis ditionis praecedentis autumno incipiente legi.

CERASTIUM TRIGYNUM VILL. — *Stellaria cerastoides* L.

Hab. Legi uno loco humenti in regione alpina Olympi bith. Floret Aug. mense.

Obs. Caules uno latere obiter pubescentes, superne undique piloso-subglandulosi. Folia falcata, angustata, potius linearia quam oblongo-lanceolata. Sepala obtusa ovato-oblonga, inferne trinervia, vix carinata.

HOLOSTEUM UMBELLATUM L.

Hab. In Attica.

LINEAE.

LINUM OLYMPICUM Boiss.

Hab. In regione alpina Olympi bith. huc et illuc in herbis florente occurrit Augusto mense.

Obs. A *Lino decolorato* (Ic. L. hirsutum Fl. graec. t. 302.) quod in Olympo bith. SIBTHORPIUS decerpit, differt: radice perenni nec annua; foliis dorso praecipue regulariter et valde pilosis, nec sparse villosis; cymis interdum 3-floris, nec dichotomis ramis laxe spiciformibus; sepalis ovato-lanceolatis, nec oblongo-lanceolatis; petalis violaceo-azzurreis sepalis 4-plo superantibus, nec roseis duplo superantibus.

LINUM GALLICUM L.

Hab. Circa Byzantium.

MALVACEAE.

ALTHAEA ROSEA Cav.

Hab. In aggeribus circa Scutarium asiaticum.

MALVA SYLVESTRIS L.

Hab. In agro byzantino, scutariano et atheniensi formae quamplurimae hujusce speciei obviae sunt.

GOSSYPIUM HERBACEUM L.

Hab. In cultis prope Kiephyssum atheniensem sponte.

HYPERICINEAE.

HYPERICUM REPENS L. et SPACH! non aliorum.

Hab. Legi mense Augusti in pascuis dumetosis Olympi bith. Specimina H. repentis Herb. Webbiana et Musaei Parisiensis cum nostris exacte quadrant.

HYPERICUM OLYMPICUM L.

Hab. Occurrit rarius in solo argilloso-calcareo ab aquis diruto regionis subalpinae Olympi bith. Legi florente Augusto mense.

Obs. Corolla calyce triplo longior, pro plantae statura amplissima!

HYPERICUM SATUREGIFOLIUM JAUB. et SPACH. — GRISEB. Fl. rumel. 1. p. 223.

Hab. In Olympi bith. regione alpina haud frequens. Floret Augusto.

HYPERICUM CALYCIUM L.

Hab. In castanetis umbrosis ad radices Olympi bith. prope Brussam vulgatissimum. Floret Julio.

HYPERICUM PERFORATUM L.

Hab. In collibus circa Byzantium.

Obs. A forma in Europa centrali nec non in Italia ubique obvia, foliis linearibus angustissimisve deflectens.

HYPERICUM EMPETRIFOLIUM W.

Hab. In planitie circa Athenas.

HYPERICUM CRISPUM L.

Hab. Cum praecedente, nec non in arvis prope Phanaraki ultra Katikioi passim.

G E R A N I E A E.

GERANIUM MOLLE L.

GERANIUM PUSILLUM L.

Hab. Ad vias urbanas et suburbanas Byzantii hae duo species promiscue crescunt, et ab italicis nec characteribus nec facie recedunt. Tota aestate florent.

ERODIUM CICUTARIUM L.

Hab. In agro byzantino, valde mutabile.

ERODIUM OLYMPICUM Boiss. ! Diagn.

E. caulibus basi dense caespitosis, floriferis elongatis, sulcato striatis,

subflexuosis pilosis: foliis radicalibus congestis, caulinis plerumque quatuor oppositis, omnibus undique piloso-subincanis, pinnatisectis segmentis pinnatifidis, lacinii oblongo-linearibus, obtusiusculis; rachi subdentifera; pedunculis multifloris pedicellisque calyces superantibus glanduloso-pilosis: floribus polygamis; sepalis inaequalibus oblongo-obtusis breviter mucronatis, pelucido-scariosis, piloso-glandulosis, ciliatis, 3-7-nerviis, nervis sordide purpureis; petalis obovatis, subemarginatis calycem duplo superantibus, pallide roseis incarnatisve; fructu patenter hirsuto, cauda inferiori parte, intus longe barbata, extus tota pilis brevissimis patulis hirta.

Hab. In cacumine Olympi bith. ex quo ad inferiora alpina etiam descendit. Floret Augusto.

Obs. Affine *Erodium Sibthorpiatum* ab hac specie luculenter differt foliis simpliciter pinnatis, pinnis ovatis, acutis; ovario pilis albis adpressis villosissimo, caudaque adpresse hirsuta, reliquis omissis.

ZYGOPHYLLEAE.

TRIBULUS LANUGINOSUS L. sp. 553?

Hab. Circa Athenas. Tota planta villosa-hispidula.

RUTACEAE.

RUTA MONTANA CLUS.

Hab. Abunde provenit aestate in declivitatibus glareosis prope Constantinopolim, ubi jam a SIBTHORPIO collecta.

Obs. Folia radicalia supradecomposita, cetera sensim sensimque simpliciora et pinnata. Petala potius cymbiformia et conformia quam ungue attenuata denominanda.

RUTA DIVARICATA TEN.

Hab. In monte Hymetto atheniensi legi aestate.

PEGANUM HARMALA L.

Hab. Copiose crescit et floret aestate prope Acropolim atheniensem, ubi saepius ramosissimum et lignosum evolvitur.

RHAMNEAE.

RHAMNUS OLEOIDES L.

Hab. In monte Parnis athen.

TEREBINTHACEAE.

PISTACIA TEREBINTHUS L.

PISTACIA LENTISCUS L.

Hab. In Coreyra insula.

RUS COTINUS L.

Hab. In monte Pentilico.

PAPILIONACEAE.

GENISTA LYDIA BOISS. ! Diagn. — *G. leptophylla* SPACH var. *virescens*.

Hab. In regione Fagi Olympi bith. aestate.

Obs. Quae ipse observavi hujusce speciei individua legumina imperfecta, seminaque fere omnia abortientia mihi obtulerunt.

GENISTA TINCTORIA L.

Hab. Circa Scutarim asiaticum.

GENISTA ACANTHOCLADA DC.

Hab. In litore prope Kalamaki ultra Isthmum Corinthi legi aestate.

CALYCOTOME VILLOSA LK.

Hab. Corcyrae et Hymetti atheniensis.

SPARTIUM JUNCEUM L.

Hab. Ad Bosporum.

GONOCYTISUS ANGULATUS SPACH! — *Genista parviflora* DC. — *Spartium angulatum* L. — *Retama angulata* GRISEB. Fl. rum. 1. p. 5.Hab. Legi Augusto decedente in collibus *Demerdesch* in ditone Brussensi.

Arbuscula alterne ramosa, ramis vimineis striatis, ramulis sulcato-angulatis, pellicellis calycibusque pilis minutis adpressis, subsericeis. Folia ternata, foliolis oblongo-ellipticis, acutiusculis, floralia simplicia. Bracteae bracteolaeque parvae, lineares, deciduae. Flores in ramulorum extremitate racemosi; pedicelli longitudine calycis, superne incrassati. Calyx cyathiformis subbilabiatus, labio superiore bidentato, dentibus triangulo acutis, sinu lato distinctis, inferiore superiore quidquam longiore sed angustiore, minute tridentato. Vexillum cordato-ovatum carinam retusam subaequans, alas inferne foveolatas excedens. Stamina monadelphia. Antherarum lobuli, sub vitro, pilis minutis penicillati. Stigma exiguum subdiscoideum, e sicco, vix a stylo filiformi distinctum. Legumen immaturum, calycis longitudinem duplo excedens, elliptico-urceolatum, pilis minutis appressis, confertis canescens. Corolla laete flava.

Obs. Ex praemissis, speciatim de partibus floris, satis clare elucet, ni nimium fallor, hanc plantam gradum praebere fere intermedium Genistas inter et Retamas celeb. BOISSIERI; idcirco genus Gonocytisus, quod characteribus fructificationis et vegetationis innixum, stirpem nostram aliasque affines colligit, praefendum esse censeo.

Prostat in ditissimo cl. WEBBII herbario sub nomine Genistae parviflorae? Planta canariensis, quae a nostra valde differt ramis omnibus profunde, exquisiteve sulcato alatis.

CYTISUS CHRYSOTRICHUS BOISS. ! — *Cytisus supinus* L. Fl. rumel.

Hab. In dumetis lapidosis ultra *Ciamlicia* a Scutari asiatico non longe legi aestate decedente.

Obs. Staturam semper humilem praebet quamvis radix lignosa et robusta sit. Ramuli sesquipalmares, vel palmares, ex radice repente erecti. Calyces villososericei corollis luteis quasi concolores.

Cytisi chrysothrichi var. *gracilem* Boiss. ! in Olympo bith. legi regione subalpina. Planta magis elongata, ex aggeribus pendens vel prostrata. Floret Julio et Augusto.

ONONIS ANTIQUORUM L.

Hab. In planitie atheniensi.

ONONIS COLUMNAE ALL.

Hab. In monte Parnis ath.

ANTHYLLIS HERMANNIAE L.

Hab. Crescit in ericetis prope Byzantium ad ripam Bosphori *Bujuk-Derem* versus. Folia sunt potius lineari-elliptica quam lineari-cuneata, ut in diagnose LINN. Calyces campanulato-cylindrici cum tota planta argenteo-sericei. Floret Junio, Julio.

MEDICAGO MARINA L.

MEDICAGO CIRCINNATA L.

MEDICAGO ORBICULARIS ALL.

MEDICAGO LUPULINA L.

MEDICAGO GERARDI W.

Hab. Omnes plus minusve frequentes reperiuntur in collibus aliisque locis Byzantinae ditionis.

TRIGONELLA AZUREA C. A. MEY.

Hab. Planta venusta quam legi florentem primo vere ad litora maris prope Piraeum atheniensem.

TRIFOLIUM MENEGHINIANUM mihi.

T. caule fistuloso; foliolis ovatis vel obovatis; stipulis vagina lata membranaceo-scariosa externe connexis; capitulis minute bracteolatis, post anthesim umbellatim reflexis; laciniis calycinis lanceolato-triangularibus, cuspidatis tubum subaequantibus; leguminibus dispermis.

Hab. In collibus constantinopolitanis ultra *il Gran Campo* una vice legi aestate 1850.

Radix? caulis erecto-ascendens ramique numerosi fistulosi, longitudinaliter striati. Foliola basi cuneata, minute serrata, serraturis a venulis productis cuspidato-subaristatis. Stipulae basi petioli interne adnatae, membrana ampla continua scariosa m. 0,002-3 longa caulem pedunculumque vaginante praeditae; caudiculae dimidiam longitudinem petioli superantes, triangulares; oblongae, acutae, reticulato-nervosae. Pedunculi axillares erecto-patentes, striati, petiolo bracteante triplo quadruplo longiores. Capitula 30-40-flora bracteolata, floribus pedicellatis, primum erectis deinde reflexis, centralibus abortientibus, in penicillum rectum conniventibus immutatis. Florum fertileium pedicelli teretes, glabri, longitudine varia, externi brevissimi, interiores pedetentim longiores;

tandem tubum calycinum aequantes vel superantes. Bracteolae minutae, lanceolato-acuminatae, scariosae. Calycis tubus membranaceo-scariosus, longitudinaliter 10-nerviis. Nervi primarii usque ad apicem dentium decurrunt; minores cum iis alternantes fauce consistent et in duabus venulis divisi marginem dentium percurrunt et tandem nervo mediano conjunguntur. Dentes calycini lanceolato-subulati, viriduli; superior tubum aequans vexillo plus quam dimidio brevior; intermedii tubo breviores; infimi intermediis minores. Vexillum ovato-obtusum, in anthesi albo-luteolum, tandem avellanaceum, nervoso-striatum. Alae vexillo quarta parte breviores carinam superantes. Legumen glabrum, dorso infra duo semina, quae matura non vidi, emarginatum.

Tota planta glabra, caules et rami primarii m. 0, 25 circiter longi.

Obs. *T. Micheliano* SAVI et *T. nigrescenti* VIV. affinis. Differt a primo stipulis margine externo connexis, licet continuis caulemque vaginantibus; dentibus calycinis lanceolato-triangularibus tubum subaequantibus, nec *lineari-setaceis tubo longioribus*. A *T. nigrescenti* differt caulibus ramisque fistulosis; leguminibus dispermis.

TRIFOLIUM PETRISAVII mihi.

T. caulibus solidis medullosis; foliis cuneato-triangularibus, obtusis; stipulis vagina scarioso-membranacea caulem amplectente externe connexis; capitulis densis; floribus bracteolatis, post anthesim omnibus umbellatim reflexis; dentibus calycinis lanceolatis tubum aequantibus, leguminibus dispermis.

Hab. Copiose provenit in collibus constantinopolitanis ultra *il Gran Campo* et tota aestate floret.

Planta perennis, caespitosa; ramis primariis sparsis, prostratis, arhizis, medulla farctis, m. 0, 08 a m. 0, 18 circiter longis, longitudinaliter striatis. Folia longe petiolata; foliolis cuneato-obtusis, nervosis, superiori margine ex nervaturis excurrentibus serrato-cuspidatis. Stipulae exteriori latere inter se, interiori cum petioli basi connexae, caulem pedunculumque late vaginantes; caudiculae triangulares, lineari-acuminatae, nervosae vaginae longitudine. Pedunculi axillares folio 2-4-longiores, striati, erecto-divergentes, capitulis densis 25-30-floris terminati. Flores minute bracteolati, pedicellati. Pedicelli teretes, praesertim externi abbreviati, post anthesim omnes recurvati. Bracteolae scariosae, ovato-acuminatae, nervo mediano usque ad apicem producto carinatae. Calycis tubus

campanulato-cylindricus, membranaceo-scariosus pedicelo longior, longitudinaliter 10-nerviùs; limbus 5-dentatus, dentibus lanceolato-acuminatis, margine scarioso-membranaceis; duobus superioribus majoribus, tubum aequantibus, dimidiumque vexillum paullulum superantibus; inferiore minori dimidiam carinam aequante. Nervi calycis quinque majores usque ad apicem dentium decurrunt; quinque minores, ad faucem bifidi dentium reapse trinerviùm margines percurreunt. Vexillum sordide albidum, ovato-acuminatum, longitudinaliter plicato-striatum, apice minute denticulatum. Alae vexillo quarta parte breviores, carinam vix superantes. Legumen sessile, dispermum, dorso, infra semina, emarginatum.

Obs. A praecedente specie differt: caulibus medullosis nec *fistulosis*, capitulis densifloris, forma foliorum et omnino habitu.

A *T. nigrescente* VIV. diff. leguminibus dispermis nec 4-spermis, dentibus calycinis tubo et dimidio vexillo brevioribus, capitulis magis densis, et tandem omnibus partibus rigidioribus magisque compactis.

TRIFOLIUM ARMENIUM W. var. *pumilum* CLEM.

Hab. Legi in declivitatibus alpinis Olympi bith. latere orientali. Floret Augusto, Septembre.

Caulis humilis semipalmaris ascendens; capituli abbreviati; stipulae saepe aphyllae.

TRIFOLIUM STRIATUM L. var. *constantinopolitanum* CLEM.

Hab. In collibus circa Constantinopolim aestate.

Tota planta villosa-albescens, caulibus abbreviatis, compactis, robustis.

TRIFOLIUM SUBTERRANEUM L.

Hab. In agro constantinopolitano tres formae insignes hujus speciei distinguuntur:

α.: Pedunculis folio longioribus, seminibus atro-purpureis nec nigris.

Tota planta gracilis et longissime repens, parce pilosa; flores steriles numerosi tenues; dentes calycini valde elongati, pilosissimi.

Crescit in locis humentibus prope aquaeductum ultra *il Gran Campo di Pera*.

β.: Pedunculis folio longioribus, seminibus atro-purpureis sicut

in antecedenti; sed tota planta valde contracta, robusta, villosa. Flores steriles minus graciles quam in α .

Crescit in eadem localitate, sed in solo sicciori et calidiori.
 7. : Calycibus atro-purpureis.

Planta saepissime pusilla, ramulis prostrato-divaricatis, fere truncatis.

A praecedente non longe floret vere.

TRIFOLIUM UNIFLORUM L.

Hab. Laetissime floret primo vere in pascuis collinis prope *Cianlicia* ultra *Scutarim asiaticum*.

Obs. Species pulchra, ab aliis congeneribus habitu omnino diversa. Ex radice longissima perpendiculari caules numerosi in caespitibus parvulis densis contracti. Ager byzantinus, trifoliis uberrimus, etiam sequentia, quae legi, hospitatur:

T. constantinopolitanum SERING, quod *T. supino* simile, forma calycis ab illo distinguitur. Rarissime mihi occurrit circa *il Gran Campo di Pera*.

T. elegans SAVI. In collibus locisque magis insolatis haud rarum.

T. filiforme L. In cultis locisque glareosis rarissimum adnotavi.

T. globosum L. et *T. resupinatum* L. Ubique vulgatissima.

T. stellatum L. et *T. Cherleri* L. In herbidis promiscue crescunt, praecedentibus rariora.

T. scabrum L. et *T. glomeratum* L. Etiam consociata saepissime observavi. Solo steriliori et duro delectantur.

T. fragiferum L. Vulgatissimum in areis, ad vias, locisque argilloso-calcareis.

T. procumbens et *T. arvense* L. Locis apricis hac illacque observavi.

CORONILLA EMERUS L.

Hab. In monte *Hymetto*.

DORYCNium RECTUM SERING.

Hab. Crescit in planitie atheniensi humidiori. Legi fructificantem prope flumen *Kiephyssum*, autumno.

Obs. Species a congeneribus habitu valde recedens, lignosa, elata; leguminibus numerosis, capitato-fasciculatis instructa.

LOTUS ANGUSTISSIMUS L.

Hab. Legi in collibus siccioribus prope Byzantium. Floret Julio.

Obs. Caules procumbentes; pedunculi breves; dentes calycini lineari-subulati, tubum aequantes. Tota planta, praesertim superne, pilis setiformibus argenteis adspersa.

LOTUS CORNICULATUS L.

Hab. Ad Kiephyssum flum. Attica.

PSORALEA BITUMINOSA L.

β . *pustulata* CLEM.

Hab. α . In insula Corcyra.

β . Ad litora maris prope *Phanaraki*, ultra *Katikioim* (Calcedoniam) aestate. Tota planta multo magis quam species ramosa, magisque piloso-argentea, pilis erecto-patulis; foliis superioribus ovato-lanceolatis, nunquam angustato-linearibus. Legumen calycem conspicue excedens, ad pilorum ortum nigro-pustulatum.

ASTRAGALUS PRUSSIANUS Boiss. ! n. 9. p. 88.

A. caespitosus, ramosissimus; ramis adscendentibus erectisve, niveolanatis; foliis patentibus 6-8-jugis in spinam validam abeuntibus; foliis ellipticis vel obverse lanceolatis, obovatisve, mucronato-spinulosis; pilis canescentibus subadpressis hirtis; stipulis acuminato-triangularibus, dorso connexis, coriaceis, avellanaceis, internodium dimidium aequantibus superantibusve, inferioribus nudis lucidis, superioribus floralibusque sensim albo-lanatis; floribus sessilibus dense capitatis; capitulis terminalibus, compactis, bombycinis, plerumque cylindricis bipollicaribus; bracteis membranaceis, obverse lineari-lanceolatis, superne barbatis, calyces aequantibus; calycis bombycini dentibus linearibus, apice subincurvis, praeter mucronem villo occultatis, tubum, demum fissilem, aequantibus; corolla pallide ochroleuca, calyce tertio longiore; vexilli lamina basi obsolete auriculata, in unguem subaequalem attenuata; legumine minimo monospermo.

Hab. Legi in collibus *di Demerdesch* Brussianae ditionis. Floret Augusto mense.

Obs. Auctoritate cl. BOISSIERI ad *A. Prussianum* plantam meam refero. At in *Diagnosis orient.* l. c. folia adnotantur adpressissime hirta,

stipulae (omnes) albo-tomentosae brevissimae, capitula rotunda magnitudine nucis, bractae lineari-setosae, plumosissimae; quibus characteribus *A. Prussianus* a planta nostra nonnihil recedere videtur.

An *A. Prussianus* loco *Prussiani* e patria denominandus?

ASTRAGALUS ANGUSTIFOLIUS LAM.

Hab. Legi in regione alpina Olympi bith. ubi floret Julio decedente et Augusto.

Obs. Diagnosim hujusce speciei a cl. GRISEBACHIO in Flora rumelica 1. 57. exhibitam, ex speciminibus ex Olympo illatis hisce absolvendam censo: « Leguminibus ovalibus utrinque acutiusculis, villis adpressis albo-nigricantibus, bilocularibus, loculis 2-4-spermis, seminibus avellaneis laeviter rugosis. »

Planta admodum caespitosa; racemi 4-8-flori potius quam 10-flori; dentes calycini lineares subulati, nec lanceolati acuminati.

ASTRAGALUS HIRSUTUS VAHL. ! DC. Prodrum. 2. p. 306 teste BOISSIER!

A. caulescens, diffusus, procumbens; foliis sub 5-jugis, varie ellipticis, villosis-argenteis; capitulis subglobosis pedunculatis, pedunculis circiter longitudine foliorum, sordide rubentibus, pilosis; floribus luteo-ochroleucis, calyce duplo longioribus; calycibus pilis discoloribus, albo-nigricantibus; dentibus tubum, demum fissum, subaequantibus, lanceolato-subulatis; leguminibus ovatis, rostratis, calyce duplo longioribus, villis longis candidissimis tectis; loculis sub 3-spermis; seminibus compresso-ovoideo-truncatis, olivaceis, nigro-punctatis.

Hab. Crescit in cacuminibus alpinis aridis Olympi bith. et floret Julio decedente.

Obs. Characteres praepositi ex speciminibus l. c. lectis excerpti, ad pleniorum speciei diagnosim hic exhibentur, vel eo magis quod descriptio Candolleana nimis contracta et incompleta mihi videtur.

Affinis *A. vesicario* DC. et *A. Pastelliano* POLLIN. Caulis ramiq. abbreviati apice reliquiis foliorum annorum praegressorum emarcidis vestiti, fructiferi pollicem vix longitudine excedentes. Stipulae papiraceae, ciliatae, caeterum glabrae, pro foliorum amplitudine grandes, cum petioli basi inferne connatae.

ASTRAGALUS SIBTHORPIANUS BOISS.!

Hab. Crescit in pascuis saxosis imbre dirutis regionis alpinae superioris Olympi bith. e latere N. O. Legi Augusto mense florentem et fructificantem.

Obs. Species distinctissima ad sectionem *Caprinorum* LEDEB. pertinet: caule multiplici sub solo repente, nigricante, squamoso; foliis circiter ro-jugis, minutis, piloso-argenteis; floribus subsessilibus, in capitulum ovato-rotundatum aggregatis; bracteis lanceolato-linearibus, calycem subaequantibus; calycinis dentibus lineari-subulatis tubum subaequantibus; corollis atropurpureo-viridulis; vexilli lamina ovato-oblonga, alis angustato-oblongis carinam superantibus tertio longiore; leguminibus compressis, semiovatis, mucronatis; seminibus compressis avellanaceis.

ASTRAGALUS SPRUNERI BOISS.

Hab. Legi in viciniis Athenarum circa *Stadium*. Flores parum numerosi, elongati; calyces nigricantes; corolla magna, sordide luteo-purpurascens. Floret vere.

BISERRULA PELECINUS L.

Hab. Floret primo vere in sylvulis apricis prope Bosphorum. Herba debilis, forma leguminum perelegans.

ORNITHOPUS COMPRESSUS L.

Hab. Crescit pusillus et rarus in sylvulis byzantinis Bosphorum secundantibus. Legi aestate incipiente.

ONOBRYCHIS CADMEA BOISS. ! Diagn.

Hab. In praeruptis alpinis Olympi bith., mense Augusti.

Obs. Duplici sub forma l. c. mihi se obtulit; caulibus nempe simplicibus, elatis, foliis elongatis, foliolis rarioribus oblongo-lanceolatis, vel caulibus decurtatis a basi ramosis, foliis contractis, foliolis abbreviatis. Flores in utraque varietate semper magni, speciosi, ex quo faciem propriam non dimittit.

ONOBRYCHIS CAPUT GALLI LAM.

Hab. In agro constantinopolitano haud frequens, aestate.

VICIA HIRTA BALB.

Hab. Pusilla et rara occurrit in sylvis prope Bosphorum, et floret aestate.

VICIA VARIA HOST. — *Vicia villosa* β. *glabrescens* KOCH? Syn. 1. p. 214.

Hab. In cultis collinis aridioribus prope Byzantium a pecoribus depasta e radice perenni? Diu repullulat. Legi aestate.

Obs. Folia potius lanceolato-linearia vel linearia quam lanceolata, pilis praesertim marginalibus subpatulis, nec magis quam in specie *adpressis* ut in KOCH l. c.

VICIA LATHYROIDES L.

Hab. Sylvis prope Bosphorum raro incolit. Floret vere et aestate incipiente.

VICIA PSEUDO CRACCA BERTOL.

Hab. In ejusdem ditionis locis siccioribus passim.

VICIA CASSABICA L.

Hab. Legi una vice in regione abietis Olympi bith. Statura elatiori insignis! Color foliorum obscure viridis. Floret a Julio ad Augustum.

LUPINUS ANGUSTIFOLIUS L.

Hab. In agro byzantino.

R O S A C E A E .

RUBUS AMOENUS PORTSCHL.

Hab. Legi aestate in saxosis collinis prope *Ciamlicia* ultra Scutarim asiaticum, nec a stirpe dalmatica videtur diversus.

RUBUS TOMENTOSUS W.

Hab. Crescit in regione subalpina Olympi bith. Folia dorso molliter incano-tomentosa, facie omnino glabra et intense viridia. Legi fructificantem Augusto mense.

RUBUS FRUTICOSUS L.

Hab. In Attica prope Kiessariany.

POTENTILLA BUCCOANA mihi.

P. radice lignosa, valida; caulibus adscendentibus robustis; foliis ternatis; foliolis ovatis vel obovato-cuneatis, grosse et obtuse dentatis; corymbo multifloro; petalis obcordatis vel obovatis, calyce tertia parte longioribus; calycinis laciniis inaequalibus; receptaculo conoideo-columnari; villosa.

Hab. Legi in Olympi bith. pratis alpinis lapidosis latere N. E. Floret Augusto decedente et Septembre.

Radix descendens lignosa, prae planta maxima, nigricans, ad collum reliquiis foliorum persistentibus squamata; squamis rufo-nigricantibus. Caules bi-sesquipedales, plurimi, adscendentes, fistulosi et robustissimi, obsolete rotundato-angulati, superne striati et dichotomi, pilis tenuibus villosa-pubescentibus. Folia omnia ternata, inferiora longe petiolata. Foliola inferiorum ovata, basi cuneata, vel obovato-cuneata, rariusve tantum ovata; superiorum magis cuneata; omnia, parte cuneata excepta, grosse et plus minus profunde serrato-dentata, dentibus omnibus obtusissimis rotundatis conformibus; utrinque viridia, demum frequenter lutescentia; dorso nervaturis et margine subaequaliter villosa, facie glabrata. Petioli pubescentes supra canaliculati. Stipulae grandiusculae, basi petioli adnae, oblongae vel lanceolatae, oblique acuminatae. Cyma subcorymbosa dichotoma, ramis plus minusve elongatis, floribus in ramis approximatis. Pediculi firmi semper axillares, magis quam caules pilosi. Calyces magni etiam pilosi, laciniis ovato-lanceolatis inaequalibus, exterioribus multo minoribus, nervosis vel reticulato-nervosis, in anthesi subacutis dein obtusiusculis. Petala obcordata vel obovata, calyce tertia parte longiora, supra luteo-aurea, subtus ochracea. Filamenta glabra. Receptaculum conoideo-columnare villosum. Nuculae arcuatim striato-costatae.

Obs. Differt a *P. grandiflora*: dentibus foliorum oblongatorum obtusis; calycinis laciniis inaequalibus obtusiusculis, petalis minoribus, receptaculo conoideo-columnare, omnibus partibus robustioribus et facie propria. Forma receptaculi et habitu etiam ad *Geum* vergit.

POTENTILLA REPTANS L.

POTENTILLA CANESCENS BESS.

Hab. In agro byzantino prout in superiori Italia vulgatissimae crescunt.

SIBBALDIA PROCUMBENS L.

Hab. Aegre crescit in Olympi bith. regione alpina.

ROSA RUBIGINOSA L.

Hab. In collibus byzantinis.

ROSA PIGMAEA BIEB. var. *olympica* CLEM.

Hab. Legi ad rupes calcareas alpinas Olympi bith. in versante N. E.
Obs. A specie recedit: foliis tomentoso-sericeis, subtus albicantibus.

POTERIUM SPINOSUM L.

Hab. Byzantii, Scutaris et Atticae.

P O M A C E A E.

PYRUS SALICIFOLIA L.

Hab. Ad radices mont. Parnis atheniensis, ubi foliis oblongo-ellipticis vestitur, quam quae stirpis dalmaticae multo brevioribus magisque glabratis.

COTONEASTER VULGARIS LINDL.

Hab. Corcyrae.

O N A G R A R I A E.

EPILOBIUM PALUSTRE L. et Fl. bith.

Hab. In regione alpina media Olympi bith. ad rivulos crescit Augusto.
Obs. Subpalmaris, gracilis; petalis violaceis sepalis lanceolatis duplo longioribus; fructibus pollicaribus incanis.

EPILOBIUM ROSEUM SMITH. varietas.

Hab. Legi aestate prope Byzantium.
Obs. Statura minori foliisque haud crebre dentatis a specie distinguitur.

CALLITRICHINEAE.

CALLITRICHE PLATYCARPA var. *marginata* CLEM.

C. foliis omnibus e basi plus minusve attenuata spatulatis, retusis, triplinerviis; fructum superiorum pedunculis brevibus, inferiorum elongatis; carpidiis per paria *parallelis*, *angulis marginatis*.

Obs. Ab omnibus mihi cognitis varietatibus Callitriches platycarpae stagnatilis celeberrimi KUNTZINGII, characteribus exhibitis satis superque differt.

LYTHRARIAE.

LYTHRUM GRAEFFERI TEN.

Hab. In planitie atheniensi ad ripas Kiephyssi, et in suburbiis byzantinis reperi aestate.

Obs. In utroque loco *L. Graefferi* floribus multo minoribus quam in planta ligustica ornatur.

LYTHRUM SALICARIA L.

Hab. Byzantii cum praecedente.

LYTHRUM NUMMULARIFOLIUM LOIS. ! — *Middendorfia hamulosa* TRAUTW. ?
Peplis Borysthenica BERST. ?

Hab. Loco humenti ultra *il Gran Campo di Costantinopoli* legi una vice Junio mense.

Obs. Folia subsessilia; caules fistulosi flaccidi; tota planta crispula.

PORTULACEAE.

MONTIA FONTANA var. *minor* KOCH.

Hab. In dumetosis collium humillima et recondita crescit a Byzantio non longe. Floret primum vere.

PARONYCHIEAE.

PARONYCHIA ARGENTEA LAM.

Hab. In mont. Parnis et Olympo.

HERNIARIA INCANA LAM.

Hab. Ad pedes Pentilici.

HERNIARIA HIRSUTA L.

Hab. Ad Byzantium et in Olympo.

SCLERANTHEAE.

SCLERANTHUS MARGINATUS GUSS.

Hab. In collibus siccioribus prope Byzantium copiosissime crescit et floret aestate.

SCLERANTHUS ANNUUS L.

Hab. In Attica et Byzantii.

MINUARTIA FASCICULATA RCHMB.

Hab. In herbis sterilibus Atticae vulgatissima reperitur tota aestate.

CRASSULACEAE.

CRASSULA MAGNOLII TEN. — *Sedum caespitosum* DC.

Hab. Locis rimosis calcareis circa Byzantium reperitur. Floret a vere in aestate.

Obs. Statura variat a centimetro ad sex. Petala sunt lineari-lanceolata, acuta, albo-scariosa, ad costam rubentia. Follicula rigida patentia in stylum brevem persistentem desinentia, costato-striata, costis rubentibus.

SEDUM GALIODES POURR.

Hab. In Olympo bith.

COTYLEDON UMBILICUS L.

COTYLEDON HORIZONTALIS GUSS. Fl. sic. Syn. 1. p. 513.

Hab. In declivitatibus glareosis prope Byzantium.

Obs. Cotyledon horizontalis, in Fl. rumelica omissus, a *C. umbilico* probe distinguitur racemo densifloro, floribus horizontalibus, corollae profundius quinquefidae segmentis lanceolatis acutissimis. Vidi in hac specie folia cordato-reniformia haud peltata.

SAXIFRAGAE.

SAXIFRAGA MIXTA LAPEYR. var. *olympica* Boiss. ! herb.

Hab. In Olympi bith. regione alpina, sed raro, mihi occurrit mense Augusti.

SAXIFRAGA FRIDERICI-AUGUSTI BIASOL.

Hab. In calcareis alpinis Olympi bith. vulgatissima; Julio, Augusto.

Obs. Ei absolute identica, cujus olim perpauca legi specimina in regione Montenegro nuncupata, per Dalmatiae provincias iter faciens.

SAXIFRAGA ROTUNDIFOLIA α et δ *geodes* Fl. rum. 1. p. 336.

Hab. Cum nonnullis aliis formis intermediis in Olympi bith. regione alpina legi Augusto.

UMBELLIFERAE.

ERYNGIUM VIRIDE LK.

Hab. Circa Athenas.

PTYCHOTIS AMMOIDES KOCH!

Hab. Copiose provenit in insula Corcyra, et praesertim ad radices mont. *Pandokratora*. Tota aestate floret.

BUPLEURUM OLYMPICUM Boiss. ! Diagn. - *B. ranunculoides* Sm. ? ex Fl. rum. add. 508. - non LINNÆI.

B. caule a basi ramoso; ramis rigidis, divaricatis prostratisve, primario subinde nullo, teretibus, striatis, glabris; foliis radicalibus subcongestis, rigidis 5-7-nerviis; inferioribus spathulatis vel oblanceolato-ovatis in petiolum attenuatis; superioribus obverse lineari-lanceolatis plus minusve angustatis, falcatis; caulinis paucis, sessilibus, lineari-lanceolatis, acutis; umbellarum radiis 5-8 inaequalibus; involucri foliolis inaequalibus, uno duobus majoribus, lanceolatis, acutis, subquinquenniis; involucelli foliolis quinque conformibus ovato-lanceolatis, acuminato-cuspidatis, margine leviter cartilagineis, subtrinerviis, nervaturis lutescentibus,

pediolis fructum aequantibus paullo superantibus; diacheniis ovoideo-oblongis, subulato-costatis.

Caules et totius plantae partes magnitudine ludunt.

Hab. In cacumine Olympi bith. legi Augusto.

BUPLEURUM GLUMACEUM SM.

Hab. In insula Corcyra legi aestate.

Obs. In collinis proveniens gracillimum, defoliatum; in litoreis crassius et luxurians; in utroque vero characteres florum et fructus omnino iidem.

BUPLEURUM GLAUCUM ROXB.

Hab. In litore prope *Kalamaki* ultra isthmum Corinthi copiose reperi mense Augusti.

Obs. Nisi statura minore et umbellis contractis ab italico recedit.

CRITHMUM MARITIMUM L.

Hab. Ad litora Corcyrae.

OENANTHE PEUCEDANIFOLIA L.

OENANTHE PIMPINELLIFOLIA L.

Hab. Utraque proveniunt in collibus Byzantinis aestate.

Obs. Harum posterior, foliis magis dissectis, partitionibus tenuioribus, a planta in Italia vulgatiore paulisper divergit.

SCANDIX PECTEN L.

Hab. In Attica.

SESELI CAESPITOSUM SM.

Hab. In Olympi bith. herbis apricis et lapidosis S. E. prospicientibus una vice reperi Augusto mense.

ANETHUM FOENICULUM L.

Hab. Atticae; ad Kiephyssum.

HERACLEUM HUMILE S. et SM.!

Hab. Species in Olympi bith. regione alpina perrara et a congeneribus etiam facie prima fronte distincta. Legi Augusto incipiente.

TORDYLIUM APULUM L.

Hab. In collibus byzantinis ultra *il Gran Campo* mihi occurrit haud frequens aestate et autumnno.

TORILIS NODOSA DC.

Hab. Iisdem in locis cum Tordyllo frequentius occurrit.

TORILIS INFESTA BERTOL.

Hab. Byzantii.

A R A L I A C E A E.

HEDERA POËTARUM BERT.

Hab. Uno loco mihi occurrit ab Athenis non longe *Kiessariany* nuncupato. Floret aestate decedente et autumnno fructificat.

C O R N E A E.

CORNUS MASCULA L.

Hab. In sepibus byzantinis.

L O R A N T H A C E A E.

VISCUM ALBUM L.

Hab. Ad abietem Apollinis in mont. Parnis ath.

C A P R I F O L I A C E A E.

LONICERA CAPRIFOLIUM L. *arborea* CLEM.

Hab. Crescit ad margines agrorum prope Brussam asiaticam. Floret mense Augusti.

Obs. Capituli omnes ternato-terminales. Truncus arboreus. Rami et dorsum foliorum omnium connatorum pruinosa. Minus quam specie odore grato scätet. An *L. etrusca*?

S T E L L A T A E.

ASPERULA INVOLUCRATA WAHLB. ex Fl. rumel. 2. p. 167.

Hab. Habui a Domina Josephina FOSSATI, quae ad radices Olympi bith. in valle *del Paradiso* nuncupata legit vere decedente.

Obs. Folia caulina rameaque inferiora non raro ad basim videntur 3-nervia! cacterum cum planta Fl. rumelicae omnibus partibus congruit. Pulcherrima species!

ASPERULA NITIDA SM. ex Fl. rumel.

Hab. Frequens in regione alpina et subalpina Olympi bith.

Obs. Valde ludit statura; saepissime nana et fere acaulis, quandoque longe caulescens. Tamen characteres specifici immutabiles nisi excipias folia et corollam, quae in procerioribus simul cum caulibus elongantur.

ASPERULA CYNANCHICA *homophylla* CLEM.

« Foliis supremis oppositis, ceterisque quaternis lineari-subulatis;
» caule ramisque inferne valde scabris. »

Hab. In collibus byzantinis aestate.

SHERARDIA ARVENSIS L.

Hab. Circa Byzantium.

VALANTIA MURALIS L.

Hab. Byzantii, et in Attica.

CRUCIANELLA GRAECA BOISS.

Hab. In Hymetto meridionali.

GALIUM LONGIFOLIUM GRISEB. — *G. effusum* BOISS. et GRISEB. —
Asperula longifolia SIBTH. et SM.

Hab. In regione Fagi Olympi bith. haud frequens occurrit. Legi Augusto,

GALIUM ORIENTALE BOISS.! — *Galium incanum* SM.! ex GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 159.

Hab. In Olympi bith. regione alpina latere S. E. crescit rarum, et rupium calcarium fissuris delectatur.

Obs. *G. sylvestri* affine; distinguitur caulibus dense implexo-caespitosis, foliis sex linearibus, angustis, mucronatis, rigidiusculis, nitidis, in sicco dorso, ob nervum robustum prominentem, 2-sulcatis, livido-fuscis; cymis

plerumque 2-3-floris, strictis. — Caules ramique perennantes, juniores pilosiusculo-scabridi, demum glabrati: rami juniores et folia livido-fuscescentia.

GALIUM SETACEUM LAM.

Hab. Legi in monte Hymetto atheniense, aestate.

GALIUM DIVARICATUM LAMCK. — GUSS. Fl. sic. Syn. 1. p. 186. — DC. Ic. pl. gall. rar. tab. 24.

Hab. In apricis prope Byzantium.

Obs. Omni numero convenire mihi visum est cum *G. divaricati* Icône adducta, nec non cum descriptione cl. GUSSONII, nisi quod fructus in Icône Candolleana laeves glabrique dipicti sunt, qui in nostro eximie sub lente granulati: pediculi porro non omnes fructus longitudine aequant ut in planta sicula. Ceterum a *G. setaceo* LAMCK., a *floribundo et tenuissimo* Fl. rumelicae, vel fructu granulato vel corollae segmentis muticis differt.

GALIUM OLYMPICUM BOISS.!

Hab. In Olympi bith. regionis alpinae declivitatibus calcareis cum *Draba olympica*, aliisque rarissimis stirpibus abunde crescit et floret Augusto.

Obs. Specimina nostra a descriptione cl. BOISSIERI, ex Fl. rumel. characteribus sequentibus quidquam divergunt: folia margine admodum revoluta omnino glabra, nec *marginè scabriuscula*; flores axillares terminalesque, nec tantum *axillares*; laciniae corollinae lanceolato-lineares, obtusiusculae, nec *lanceolato-acutae*.

GALIUM CORONATUM SIETH.

Hab. Huc et illuc in herbidis et inter saxa Olympi bith. regione alpina media reperitur Augusto.

Obs. Folia 3-nervia, nec *enervia* ut R. et S. 2. p. 219, nec 1-nervia ut in Fl. rumel. traditum est; caules glabri, basi lignescentes ut in R. et S., elongati, prostrato-repentes licet *laxi* ut in Fl. rumel. 2. p. 163, sed nunquam pilosi.

GALIUM MOLLUGO var. — G. Tyrolense W.

Hab. Legi Augusto in regione Fagi Olympi bith.

Obs. Planta Olympica quae cum speciminibus *G. Tyrolensis*, in Venonensi provincia lectis, convenit, a *G. Mollugine* statura minori cauleque recto praeeunte cl. Koch, tantum differre evidenter patet. Cf. Koch Syn. ed. 2. p. 366.

GALIUM VERUM L.

Hab. Ad Byzantium et in Attica.

RUBIA PEREGRINA L.

Hab. In Attica ad Kiephyssum.

V A L E R I A N E A E .

VALERIANA ALLIARIFOLIA VAHL. Fl. rumel. 2. p. 172.

Hab. Species in Olympo bith. perrara. Legi una vice in declivitatibus alpinis orientalibus. Floret Augusto decedente et Septembre.

FEDIA ECHINATA VAHL.

Hab. In Attica.

VALERIANELLA PUBERULA DC. — *V. microcarpa* BETCK ex Fl. rumel.

Hab. In cultis collinis prope Byzantium crescit admodum mutabilis. Floret vere.

Obs. Dantur specimina semipalmaria gracilia et etiam pollicaria contracta.

D I P S A C E A E .

DIPSACUS LACINIATUS L.

Hab. In collibus calidissimis ad *Demerdesch* prope Brussam asiaticam. Floret Julio, Augusto.

Obs. Folia superiora profunde laciniata, quasi pinnatifida, laciniis serrato-dentatis.

KNAUTIA ORIENTALIS L.

Hab. Legi in collibus *Demerdesch* a Brussa non longe; aestate. Elata, ramosissima, pene luxurians!!

SCABIOSA URRANICA L.

Hab. Legi in glareosis collinis prope *Demerdesch* ditionis Brussianae. Floret Julio, Augusto.

Obs. Optime ad specimina herbarii WEBBII. Caulis basi pilis longis admodum sparsis praeditus, superne glaber. Acheniorum corona pappo triplo brevior.

SCABIOSA TENUIS SPRUN. in BOISS. Diagn.

Hab. Legi in insulae Corcyrae declivitatibus collinis haud frequens. Floret Julio.

SCABIOSA MARITIMA L.

Hab. In agro constantinopolitano valde mutabilis crescit.

SCABIOSA COLUMBARIA L.

Hab. Cum praecedente. Aestate.

Obs. A typo speciei plerumque recedens caule simplici, spithameo, monocephalo; foliis inferioribus petiolatis, ovatis, serratis. Tota planta villosa-subsericea. Floret aestate.

C O M P O S I T A E .

CICHORACEAE.

LAPSANA GRANDIFLORA MB.

Hab. Raro occurrit in regione subalpina Olympi hitb. locis umbrosioribus. Legi Augusto.

Obs. Species plus quam *orgyalis* et a *communi* vere distincta.

SONCHUS TENERRIMUS *muriculatus* CLEM. *anthodiis, praesertim inferne, muriculatis.*

Hab. Prope Piraeum athen. crescit et floret vere.

CICHORIUM BYZANTINUM mihi.

C. perenne? radice caespitosa vel unicauli, caulibus inferne hirtis, sursum scabris, glabrisve, alterne ramosis, ramis patentibus-refractis a basi ad apicem incrassatis, fistulosis, plerumque indivisis, apice floriferis; foliis radicalibus rosulatis, plerisque runcinatis, hirtis, floralibus e basi

ovata acuminatis, vix semi-plexicaulibus, ab infimis sensim decrescen-
tibus; capitulis in ramorum apice plerumque solitariis, axillaribus 2-3-
fasciculatis, subsessilibus, subindeque ramulo plus minusve elongato uni-
capitulifero stipatis; capitulis 3-12-floris; involucri squamis exterioribus
adpressis, ovatis, obtusiusculis, margine denticulatis, scabris, glabrisve,
interioribus duplo brevioribus; acheniis obconoidis costatis; pappo squa-
mellis membranaceis composito coroniformi, acheniis ipsis quadruplo
breviore.

Hab. In agro constantinopolitano, substrato conditionibusque per-
variis abunde crescit. Floret a vere in autumnum.

Obs. Planta polymorpha, facie nec non characteribus inter *C. En-
diviam* et *C. divaricatum* fere ambigens. Rami, vel si mavis pedunculi
axillares quandoque gemini, altero elongato capitulo unico terminato,
altero brevissimo capitula 3-4 gerente; folia oblonga, denticulata; rami
flexuosi. In nonnullis speciminibus e contra, caulis dichotome ramosus,
folia radicalia runcinata, caulina oblonga, dentata, pedunculi capitulique
ut in priore. In plerisque tandem capituli in pedunculo abbreviato unicus
vel plures, pedunculi elongati constanter unicapituliferi, sed longitudine
quammaxime varii, una cum caule incurvato-retorti; folia plerumque run-
cinata, laciniis numerosis, angustis, dissectis, vel oblongis obverse lan-
ceolatis plus minusve irregulariter dentatis. Statura etiam variat a spithama
ad orgyam dimidiam usque.

A *C. Intybo* distinguitur foliis involucri exterioribus ovatis, adpressis,
minute denticulatis interioribus dimidio brevioribus, pappo coroniformi
achenio quadruplo tantum breviore.

A *C. divaricato* foliis involucri exterioribus interiora non aequan-
tibus nec longe ciliatis.

A *C. Endivia* demum, radice, ut videtur, perenni, foliis floralibus
e basi vix semiamplectente attenuatis, nequaquam auriculatis.

HELMINTHIA ECHIOIDES W.

Hab. In Attica.

TOLPIS UMBELLATA BERTOL.

TOLPIS ALTISSIMA BERTOL.

Hab. Utramque legi in agro byzantino. Florent tota aestate.

HYOSERIS MICROCEPHALA CASS.

Hab. In praeruptis prope Piraeum atheniense legi vere.

Obs. Statura, scapis brevissimis, capitulis longioribus, vel folia aequantibus, superantibusve, admodum varia.

HEDYNOIS POLYMORPHA DC. — *H. rhagadioloides* MORIS Fl. sard. 2. p. 509.

Hab. Crescit ad vias prope Bosphorum et in suburbii byzantinis. Floret tota aestate.

In saxosis maritimis prope Piraeum atheniense vere ineunte varietatem *H. tubaeformi* TENOREI respondentem legi.

PICRIS OLYMPICA BOISS. Diagn. 4. p. 26.

Hab. In Olympi bith. pascuis editioribus, Augusto mense, florentem legi.

PICRIDIMUM VULGARE DESF.

Hab. In Corcyra et in Attica.

UROSPERMUM PICROIDES DESF.

Hab. In declivitatibus minoribus montis Pentilici atheniensis haud frequens occurrit ab aestate in autumnum.

SCORZONERA PYGMAEA SIBTH. — GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 264.

S. perennis; radice incrassata ad collum squamata, compacte caespitosa, ramis abbreviatis, crassis, squamatis, dense foliosis; foliis supra caespitem recurvatis, adpressis linearibus callo subindistincto obtusatis, basim versus sparse niveo-lanatis; ramis floriferis monocephalis, scapiformibus, basi foliatis, superiora versus folio uno alterove rudimentario squamatis, ceterum glabris, striatis; involucri, ligulis flavis dimidio brevioris, sparse albo-sublanati, squamis subbiseriatis, exterioribus ovato-lanceolatis acuminulatis, interioribus oblongis obtusiusculis, margine subcartilagineo plerumque rubescentibus; achenio lineari, valde striato, pappo pluriseriali superne scabro rubescente.

Hab. Crescit in Olympi bith. regione alpina et floret Augusto mense.

Obs. Variat in iisdem locis foliis elongatis, erectis, acutiusculis, subglabris; caespitibus minus densis.

Speciei diagnosim ex exemplaribus collectionis meae concinnavi, eo

praesertim consilio, ut plantae pulcherrimae, non adhuc bene cognitae, characteres melius innotescant.

PODOSPERMUM LACINIATUM DC.

Hab. In ditione byzantina mire varians.

PODOSPERMUM CANUM MEY.

Var. *Olympicum* CLEM. foliis abbreviatis, regulariter profundiusque pinnatifidis; radice valde incrassata.

Hab. In Olympi bith. reg. alpin.

Tota planta plus minusve canescens, laciniis anthodialibus basi et marginibus constanter albo-lanatis.

HYPOCHAERIS GLABRA α. Fl. sard. — *H. minima* CYRILL. non Fl. graec.

Hab. Crescit haud frequens in pratis collinis siccioribus prope Byzantium. Legi vere decedente.

Obs. Folia lanceolato-oblonga, vel etiam ex petiolo angustissime spatulata, minute vel grosse denticulata. Scapus solitarius monocephalus, vel duo tribusve accessoriis serioribus gracilioribusque interdum auctus. Ceterum ab *H. glabra* non differt.

HYPOCHAERIS RADICATA L.

Hab. Iisdem locis ac praecedens sed magis frequens.

TARAXACUM OFFICINALE δ. *Taraxacoides* KOCH.

Hab. Numerosa specimina legi primo vere in collibus *Ciamlicia* ultra Scutarim asiaticum.

Obs. Involucri foliola exteriora erecta, cordato-ovato-acuminata. Achenia sulcata, rostro subsesquibreviora, supra medium tuberculis in dentes sensim transeuntibus muricata.

An *Taraxacum laevigatum* DC.?

TARAXACUM OFFICINALE γ. *alpinum* KOCH.

Hab. In Olympo bith.

TARAXACUM OFFICINALE ε. *lividum* KOCH.

Hab. Circa Byzantium.

TARAXACUM GYMNANTHUM LK.

Hab. Legi prope *Kiessariany* in ditione atheniensi. Floret vere.

Obs. Foliis hysterauthiis vel synanthiis occurrit.

BARBAUSIA SETOSA DC. Fl. franc. var. *insignis*.

Hab. Crescit in collibus byzantinis et floret vere.

Obs. Capitulorum structura omnino ad *B. setosam* accedit, sed facie et statura multo minore distinguitur.

CREPIS POLYMORPHA HUMILIS DC. Prodr.

Hab. Ad pedes *Pentilici* ath.

CHONDRILLA RAMOSISSIMA SIBTH.

Hab. Crescit in planitie prope Athenas et floret tota aestate.

Obs. Chondrillarum species sane singularis ob foliorum evolutionem imperfectam, ramorum autem maximam.

LACTUCA SCARIOLA L.

Hab. In ruderatis *Parthenonis*.

ZACYNTHA VERRUCOSA GAERTN.

Hab. In dumetis et pascuis sterilibus prope Bosphorum haud frequens reperitur aestate.

PTEROTHECA NEMAUSENSIS CASS. — *Trichocrepis bifida* VIS.

Hab. In byzantinis collibus floret aestate.

Obs. Collata cum speciminibus italicis, dalmaticisque a memetipso lectis, differt tantum statura minore, foliis pedunculisque pubescenti-lanatis. In reliquis ad unguem convenit.

HIERACIUM LANATUM VILL. ex GRISEB. Fl. rum. 2. p. 271.

Hab. Rarissimum ad summitatem rupium calcarium regionis alpinæ Olympi bith. latere S. E. invenitur. Floret Augusto decedente vel Septembre.

Obs. *Hieracium pannosum* BOISS. Diagn. 4. p. 32 adnotante cl. Fl. rumel. Auctore, a nostro nisi varietatis lege distinguentium.

HIERACIUM PILOSELLA L.

Hab. In Olympi bith. reg. alpin. inferiori.

CARDUACEAE.

CALENDULA ARVENSIS *pygmaea* CLEM.

Hab. In arvis atheniensibus prope Piraeum haec *C. arvensis* forma singularis crescit mono-caulis, monocephala, uncialis vel semiuncialis, foliis lanceolato-linearibus, integerrimis, anthodiis minimis pulchellis. Floret vere.

ECHINOPS MICROCEPHALUS SM. Fl. rum. p. 229.

Hab. Legi Septembre in collinis locis sterilioribus prope Byzantium.
Obs. Stirps tomento et colore foliorum variabilis, ut ex observationibus D'URVILLEI et GRISEBACHII l. c. nec non ex diagnosi DC. Prodr. VI. 523 manifestum est. Folia in speciminibus nostris supra obscure viridia subglabrescentia, subtus arachnoideo-tomentosa, albescentia observantur. Involucri squamae interiores pilis sex octoties longiores sunt, dorsoque glabrae, lucido-cyanescentes, nec villosae, ut ab Auctoribus supracitatis notatur.

ECHINOPS BITHYNICUS BOISS.

Hab. In ditionis brussianae collibus *Demerdesch*, Augusto vertente, unicum tantum specimen reperi.

Obs. Stirps admodum singularis, quam primo obtutu, ob pilos papillaeformes rubescentes, rigidissimos, quibus caules foliaque niveo-canescentia vestiuntur, vel coniomycete quodam parasitico prorsus omnem obrutam, vel morbo quodam laborantem diceret!

ECHINOPS ALBIDUS BOISS.

Hab. Mense Septembri legi in monte Hymetto ath.

Capituli cito decidui, in anthesi folia summa tantum viridia, cetera arefacta. Radix lignosa et robusta.

ECHINOPS GRAECUS MILL.

Hab. In Athenarum planitie crescit pulcherrimus et a congeneribus omnibus insigniter diversus!

RITRO TENUIFOLIUS DC.

Hab. Legi specimina prope *Phanaraki* ultra Scutarim asiaticum,

quae foliis potius pinnatis quam pinnatifidis, laciniis margine valde revolutis praedita sunt. Floret Julio mense.

CIRSIUM LEUCOPSIS DC.

Hab. Crescit laetique viget in glareosis circa aquas fluentes in Olympi bith. regione alpina media. Floret Augusto.

Obs. In speciminibus a me collectis squamae involucrorum spinula simplici, nec mucrone spinuloso instructae sunt; in reliquis ad unguem congruunt cum diagnosi a Fl. rumelica (2. 252.) hujusce speciei allata.

CIRSIUM LANCEOLATUM SCOP.

Hab. Legi ad pedem Hymetti prope Kiessariany.

Obs. A stirpe italica foliis brevioribus, laciniis multo minus biseriato-divaricatis, anthodiiis majoribus, squamis in anthesi parum patentibus quiddam diversum.

CARDUS TENUIFLORUS CURT.

Hab. In agro byzantino.

CHAMAEPUCE STELLATA DC.

Hab. Legi specimina in insula Corcyra. Floret aestate incipiente.

Obs. Anthodii squamae praelongae, lineari-subulatae, pungentes. Folia linearia, falcata, subtus nivea, spinis stipulaeformibus acicularibus basi spinula minima praeditis.

CHAMAEPUCE MUTICA DC.

Hab. In montis Hymetti convalle, *Fauce* dicta, legi aestate.

Folia linearia rigiditatem, colorem et faciem foliorum coniferarum aemulantur.

SILYBUM MARIANUM GAERTN.

Hab. In collibus constantinopolitanis interdum occurrit. Floret aestate decedente.

ONOPORDON VIRENS DC. Fl. fr. et Prodr. VI. p. 48. — *O. viscosum* HORN.!

Hab. Crescit ad vias locisque sterilibus suburbanis circa Byzantium. Floret aestate.

Optime a CANDOLLEO *O. viscosum* HORNEMANNI ut synonymon hujusce speciei habetur.

ONOPORDON ILLIRICUM L.

Hab. Legi Augusto in insulae Corcyrae monte *Pandokratora*.

A stirpe dalmatica non differt nisi statura majori et lana magis densa et candidiore.

CARLINA LANATA W.

Hab. Crescit in collibus ad *Demerdesch* nec non ad vias in planitie circa Brussam. Tota aestate floret.

Obs. A *C. lanata* auctorum differt: squamis involucri medii lineari-lanceolatis, subulatis, viridescens, margine tantum scariosis et dorso lanatis, nec *muticis! scariosis* ut in Fl. rumel. perhibetur.

Plantae statura summe varia, 1-2 spithamea, subinde vix sesquipollicaris et tunc anthodia minima. Folia omnia, in planta florente, semper exsiccatione detrita.

CARLINA CORYMBOSA L.

Hab. In planitie atheniensi prope Acropolim vulgatissima reperitur aestate.

ATRACTYLIS GUMMIFERA W.

Hab. Legi aestate in planitie atheniensi superiori.

Cynarocephalarum stirps mirabilis, anthodio giganteo acauli.

ATRACTYLIS CANCELLATA L.

Hab. Frequenter reperi in monte Hymetto.

JURINEA CONSANGUINEA DC.

Hab. Species formosa, Julio florens, in convalle quadam alpina Olympi bith. Eurum versus, mihi tantum occurrit.

Obs. Cum autenticis speciminibus herbarii Webbiani nostra omnino similis. Involucri foliola potius lineari-lanceolata, subulata, quam lanceolato-acuminata dicenda. Achenia squamulosa subpilosa pappo coroniformi exiguo lobulato-dentato instructa. Folia inferiora plerumque pinnato-partita; sed huc et illuc etiam integra et obverse lanceolata; superiora interdum squamiformia, saepius linearia.

KENTROPHYLLUM DENTATUM DC. fide specimin. in herb. Webb.

Hab. Legi in collibus ad *Demerdesch* ditone brussianae ubi vulgatissimum. — Floret Augusto.

Obs. Capitula in unoquoque ramo solitaria. Involucri foliola exteriora bractaeaeformia e basi ovata, coriacea, concava sensim angustata, basi 5-nervia, reliqua parte 3-nervia, ceterum foliis proprie dictis similia; intermedia coriaceo-scariosa, tenuissime nervosa, oblonga, ad apicem appendice ovato-acuminata ciliato-serrata instructa; quae sequuntur sensim angustata, intima lineari-lanceolata subulato-spinoscentia, integra. Tota planta sub lente puberula et insuper lana arachnoidea sparsa, plus minusve copiose vestita.

Foliola involucri interiora vere a nonnullis auctoribus praetervisae sunt. Ceterum specimina mea iis quae in herb. Webbiano nomine praenisso asservantur exacte respondent.

PICNOMON ACARNA CASS.

Hab. Circa Athenas.

SCOLYMUS HISPANICUS L.

Hab. In Attica.

CENTAUREA DRABAEFOLIA SM.

Hab. Legi in regionis alpinae Olympi bith. declivitatibus calcareis. Floret Augusto.

Obs. Species ex cl. DC. jampridem a *SIETHORPIO* et *AUCHERO* in Olympo bithyn. lecta, et a *GRISEBACHIO* in Flora rumel. horum auctorum fide recepta. Quae ipse legi specimina, descriptioni Florae rumel. non ex integro respondentia, hisce notis se praebent

Radix monocaulis vel ramos binos, terve edens, quorum unicus tantum florigerus. Folia lanceolata irregulariter dentata, integerrimave, mucronulato-acuta, inferiora in petiolum attenuata. Involucri squamae ad spinarum ortum lanigeras. Anthodii magni conici cum corollis aureis. Spinae involucri basi utrinque 2-4-spinulosae. Pappus superne avellanaceus achenio glabro triplo longior. Planta elegans, caule pollicari spithameo foliisque niveo-tomentosis.

CENTAUREA CRUPINA PERS.

Hab. Legi autumno incipiente prope pagum *Spartilla* in Corcyra.

Obs. Planta corcyrensis faciem gracillimam praebet; caulibus ramisque fere filiformibus rigidis; foliis radicalibus spathulato-obovatis, integerrimis, ceteris pinnatis, laciniis minutissimis, remote serratis, pilis glanduliferis ciliatis; squamis calycinis praelongis, post fructificationem margine admodum scariosis.

CENTAUREA DIFFUSA LAMCK.

Hab. Abunde crescit prope Byzantium locis sterilibus collinis et aestate decedente floret.

Obs. Specimina quae ipse legi ob ramos creberrimos patulos invicem implexos fere inextricata. Tota piloso-scabra, glandulisque sessilibus adspersa. Foliorum lacinae omnes lineares, lanceolato-lineares, subfalcatae, mucronulatae. Capitula minuta, solitaria, ovata, lutescentia. Involucrorum minute furfuraceo-glandulosorum squamae superne palmato-pectinatoque spinosae, spinulis arcuato-patentibus; achenio subsericeo, pappo nullo.

CENTAUREA CANA SIBTH.

Hab. Crescit haud frequens in saxosis prope nives perpetuas Olympi bith. Floret Augusto.

Obs. Species pulcherrima accedens ad *C. montanam pygmaeam*, sed magis tomentosa et nivea. Folia ei sunt brevia et lata, polymorpha. Anthodii, prae planta magni, squamae palmatifido-dentatae, dorso virides margine nigricantes, dentibus elongato-subulatis cartilagineo-albis, ciliatae.

CENTAUREA PANICULATA L. ?

Hab. Ad radices Olympi bith.

Obs. Characteribus fere omnibus cum *C. paniculata* Europae mediae congruit; differt vero flosculis lutescentibus, anthodii squamis ad apicem subulato-ciliatis, subcinamomeis. An species distinguenda?

CENTAUREA ALEA L.

Hab. In Corcyrae insula aestate decedente.

Obs. Folia caulina basi edentata, laciniis earundem lineari-falcatis, mucronatis.

CENTAUREA PINARDI Boiss.

CENTAUREA HELLENICA Boiss.

Hab. Circa Athenas; posterior speciatim in fissuris rupium *Areopagi* non frequens, et ab omnibus facile distinctissima caule subnullo, capitulis magnis.

RADIATAE.

BELLIS ANNUA β . *dentata* DC.

Hab. Abunde crescit in pratis humentibus prope Piraeum athen. aliisque locis uliginosis Phalereum versus, ubi locum speciei tenet. Floret vere.

EUPATORIUM CANNABINUM L.

Hab. In Attica; ad Kiephyssum.

ERIGERON ALPINUS L.

β . *uniflorus* Fl. rumel. et bith.

Hab. Plurimis locis alpinis Olympi bith. huc et illuc haud frequens occurrit. Floret Augusto.

SOLIDAGO VIRGAUREA L.

Hab. In Olympi bith. reg. Fagi.

CONIZA CANDIDA L.

β . *verbascifolia* W.

Hab. α . in Coreyra insula, β . in *Hymetto* athen.

ASTERISCUS AQUATICUS Less. Syn.

Hab. Circa Athenas.

PHAGNALUM RUPESTRE DC.

Hab. Legi in ruderatis *Parthenonis* ramosissimum, candidissimum, ramis elongatissimis et quamvis attenuatis tamen vigore et tenacitate insigni donatis. Floret aestate.

EVAX PYGMAEA Pers.

Hab. Exemplaria constantinopolitana staturam perpusillam, formam acaulem simplicissimam saepissime induunt. Floret locis collinis.

INULA VISCOSA L.

INULA ENSIFOLIA L.

Hab. Utramque legi in insula Corcyra; prior etiam communis in planitiebus Atticae. Aestate.

INULA GRAVEOLENS DESF.

Hab. Ad vias *Megaridis*.

PULICARIA ODORA REICHB.

Hab. Crescit in sylvulis saxosis circa *Ciamlicia* ultra Scutarim asiaticum. Legi autumnno.

Obs. A specie in Liguria obvia vix differt. Folia caulina, etiam in planta juniore, obsoleta. Squamae anthodiales angustissimae, lineari-subulatae, nec lanceolato-lineares longe acuminatae.

Circa Byzantium legi specimina omnibus partibus magis evoluta.

PULICARIA VULGARIS GAERTN.

Hab. In collibus byzantinis crescit pusilla, plerumque statura unciali vel sesquipollicari.

PULICARIA DYSENTERICA GAERTN.

Hab. In agro atheniensi ad Kiephyssum flumen plurimisque aliis locis, autumnno.

Obs. A planta in Italiae superioris planitiebus vulgatissima, nostra recedit: caulibus dense striatis, ramisque virgatis strictis, foliis lanceolato-angustatis.

OMALOTHECA SUPINA CASS.

Hab. In fossis humentibus alpinis Olympi bith. Augusto decedente et ineunte Septembri legi.

Obs. A *Gnaphalio supino* alpium italicarum olympica planta deflectit: caulibus basi ramosis, radicanibus, nec simplicibus, anthodii foliis evidenter inaequalibus, nec subaequalibus.

FILAGO JUSSIEI COSSON et Germ. in Ann. Scienc. naturell. Sér. II. XX. p. 284. tab. 13.

Hab. In monte *Pentilico* atheniensi legi Octobre.

FILAGO GALLICA L.

Hab. In collibus byzantinis.

HELICHRYSUM ANATOLICUM Boiss. ! Diago. 4. p. 11. — *H. arenarium anatolicum* Fl. rumel. et bith. 2. p. 197.

Hab. In herbis petrosis regionis alpinae Olympi bith. legi Augusto.

Obs. Ab *H. arenario* praeeunte cl. GRISEBACHIO, nisi capitulis paulo majoribus, foliis spatulato-lanceolatis, corymbis contractis subrotundis differre videtur.

ANTHEMIS MONTANA L. ex Fl. rum. 2. p. 208.

* *glabrescens*: caule foliisque glabrescentibus.

Hab. Promiscue crescunt et florent Augusti mense in Olympi bith. regione alpina.

Obs. Varietas insuper recedit a specie, praeter glabritiem, caulium foliorumque tenuitate. Caulis in utraque basi subliguosus, radicans.

ANTHEMIS CHRYSOCEPHALA Boiss. ! et GRIS.

Hab. In collibus byzantinis apricis legi Julio mense.

Obs. Planta constantinopolitana ad *A. ponticam* W. nonnullis characteribus accedit.

Radix est lignosa, robusta. Caules a basi ramosi; ramis aliis floriferis, simplicibus, divisivis, superne aphyllis, nervoso-sulcatis, piloso-canescens, monocephalis; aliis stoloniformibus, brevibus, foliis numerosioribus incano-argenteis praeditis. Folia bipinnatisecta, segmentis linearibus acutiusculis. Anthodii discoidei rotundato-conoidei squamae dorso pilosae, margine scariosae, longe sparseque ciliatae; exteriores acuminato-acutae, interiores obtusae. Receptaculum conicum, paleis ob-lanceolatis mucronatis. Achenia subtetragono-obconoidea.

ANTHEMIS ARVENSIS L.

Hab. In aggeribus prope Byzantium.

ANTHEMIS SISMONDAEANA mihi.

A. annua? villosa subcanescens; caulibus ramosis adscendentibus; foliis bipinnatisectis, segmentis lineari-lanceolatis, hinc dentiferis acutis mucronatis; pedunculis laeviter incrassatis, striatis; involucri squamis carina angusta viridibus, piloso-villosis, margine scarioso, lato, obtuso,

subciliato-lacero; receptaculo conico, paleis obverse lanceolatis, acuminato-mucronatis, superne sublanceolis; ligulis albis magnitudine variis, fertilibus sterilibusque ovato-oblongis; acheniis disci centralibus obconoido-incurvis, nervoso-sulcatis, margine irregulari subnullo; excentricis subprismatico-quadrangulis, faciebus profunde sulcatis, margine lobulato (auriculato) inflexo; radii compresso-subtrigonis, nervoso-sulcatis, omnibus sub lente rugulosis.

Corollae disci basi admodum ventricosae persistentes; capituli magnitudine varii, in anthesi minimi, odore intenso *M. Chamomillae* praediti.

Hab. Floret Junio, Julio in collibus sterilibus byzantinis a loco *le acque dolci* nuncupato non longe.

Obs. A celeberrimo GRISEBACHIO (Fl. rum. 2. p. 206. 208.) *Anthemidem Chamomillam* BRUNNERI ad *A. montanam*, speciatim ad varietatem ejus *thracicam* ducitur. Verum tum nomen cum patria speciei Brunnerianae suspicionem inferunt hanc potius cum nostra quam cum var. *thracica Ant. montanae* comparandam esse.

Planta nostra autem differt ab *A. arvensi*, quae etiam in solo byzantino reperitur, praecipue receptaculo exacte conico, nec *conico-cylindrico*; paleis obverse lanceolatis, nec *lanceolatis*; et tandem acheniis, quae formas supracitatas praebent.

Ludit statura et rigiditate caulium, sed parvitate anthodiorum ligularumque in anthesi, et odore *M. Chamomillae* facile distinguitur.

Anth. litorali W. in Liguria crescenti etiam affinis.

ANTHEMIS CHIA W.

Hab. Locis compluribus circa Athenas et Byzantium.

ANTHEMIS TINCTORIA L.

Hab. In Corcyra.

COTA TRIUMFETTI GAY!

α. radiata.

β. discoidea.

Hab. Utraque varietas abunde et promiscue crescit in collibus prope Byzantium ultra *il Gran Campo di Pera* et aestate floret.

Obs. In forma radiata folia ampliora adnotantur, eorundem rachides lacinaeque latiores, ligulae albae, ovato-oblongae, involucri foliola plus

duplo superantes. Tota planta prae discoidea, magis evoluta et perfecta, reapse ut typus speciei habenda est. Discoidea omnibus partibus gracilior, capitulis omnibus ligulis destitutis, flosculis luteis, promiscue cum var. α . crescit, nec ab ea nullimode, nisi varietatis lege separari potest.

MATRICARIA TRICHOPHYLLA Boiss. ! Diagn. 6. p. 89.

Hab. Mihi occurrit Augusto in regione Fagi Olympi bith. circa aquas stagnantes.

Obs. Specimina nostra receptaculum plane hemisphericum, achenia compresso-oblonga, incurva, ad basim angustata tricarinata, apice callos-marginata umbilicataque exhibet.

Planta etiam orgyalis, caulibus ramosissimis interdum simplicissimis praedita.

MATRICARIA CHAMOMILLA L.

Hab. In Attica.

PYRETHRUM PARTHENIUM Sm.

Hab. In Olympi bith. reg. Fagi.

CHRYSANTHEMUM SEGETUM L.

Hab. In satis circa Byzantium, vere.

Obs. Quae ipse l. c. observavi a descriptione Fl. rum. ablundunt: foliis tum mediis cum inferioribus oblongo-cuneatis, vel e basi cuneata oblongo-angustatis, apicem versus inaequaliter serrato-incisis, non vero lanceolatis, nec inaequaliter serratis; acheniis disci perfectis obtusissime nec argute 10-costatis, radialium costis marginalibus argutis, reliquis obtusis sed eximie prominentibus, neutiquam filiformibus obsoletisque.

SENECIO VERNALIS W. K. *nigro-punctatus* CLEM. *S. pendelicus* BOISS.

Hab. Legi in monte Pentilico atheniensi, primo vere.

Differt a specie anthonii squamis exterioribus constanter nigro-punctatis.

SENECIO OLYMPICUS Boiss. Diagn. 4. p. 13.

Hab. In regione alpina inferiori Olympi bith. haud frequens et sparse occurrit Aug. mense.

SENECIO CASTANEANUS DC.

Hab. Crescit rarus in castanetis prope *Ciamlicia* ultra Scutarin asiaticum. Legi aestate.

Folia nonnulla longissime petiolata. Totius plantae facies gracilis.

CAMPANULACEAE.

JASONE SUPINA SIBTH.

Hab. Floret Aug. in pinetis umbrosis inferiorib. Olympi bith.

Obs. Species ludibunda ad *J. montanam* transitum faciens. Folia inferiora spathulata, media oblanceolata, superiora plus minusve linearia, omnia mutabilia, haud raro crispula. Cilia irregularia, plerumque a petiolo usque ad basim laminae tantum reperiuntur. Bractee supra medium acutissime dentiferae. Caules nunc glabri, nunc piliferi, plus minusve prostrato-ascendentes, abbreviati, nani, vel etiam elati ad *J. montanae* staturam accedentes et forte ut in ea annui.

PHYTEUMA SIBTHORPIANUM R. et S.

Hab. Legi ineunte Augusto in herbis alpinis Olympi bith. orientem versus.

Obs. Cl. BOISSIERO duce hanc plantam ad *Ph. Sibthorpianum* refero. *Phyteumatis* vero haec species a *Ph. elliptico* SMITHII, quo cum a GRISEBACHIO in Fl. rumelica (2. p. 291) conjungitur et forte non immerito, caule teretiusculo non angulato, foliis oblongo ellipticis crenatis, minime vero crenato-serratis, tantum differre videtur. *Phyteuma campanuloides* BIEBERSTEINI huic quoque valde affine, secundum specimina in herb. Webbiano extantia. Vereor characteribus laevioris momenti hasce species superstructas esse.

PHYTEUMA LIMONIFOLIUM Sm.

Hab. In Corcyra, ad litora.

PHYTEUMA REPANDUM SIBTH. et SM. ad specimina herb. Webbiani.

Hab. In declivitatibus herbosis alpinis Olympi bith. Augusto mense floret.

Obs. Planta statura, foliorum forma, florumque dispositione admodum mutabilis; si quae varietatis lege distingui meretur, est forma quaedam, floribus spicato-capitatis a reliquis recedens.

SPECULARIA PENTAGONIA *z.* DC.

Hab. Circa Byzantium.

CAMPANULA SPATHULATA Sibth. et Sm. *z.* DC. Prodr. VII. 2. p. 481.

Hab. In Olympo bith. solitaria.

Obs. Specimina a me collecta variant caulibus unifloris vel bi-trifloris, floribus secundis, vel in caulis apice congestis.

CAMPANULA BILLARDIERI *z.* DC. Prodr. VII. 2. p. 474.

Hab. In Olympo bithynico haud frequens.

Obs. Species caulibus caespitosis, foliis cordatis, 3-5-lobis vel acute dentatis, radicalibus petiolo longo insidentibus, ramis floriferis superne subpaniculatis, floribus parvis. Insignis!

VACCINIEAE.

VACCINIUM MYRTILLUS L.

Hab. In Olympo bith. sicuti et aliae stirpes alpinae nostrales aegre crescit. Forte limes australis areae hujus quoque speciei.

ERICINEAE.

ERICA VERTICILLATA FORSK.

Hab. In lapidosis collium et planitie superioris Athenarum vulgatissima. Floret aestate decedente et autumnus.

Obs. Variat insigniter statura, nec non florum magnitudine. Caules vel erecti semiorgyales, vel adscendentes palmares caespitosi.

BRUCKENTHALIA SPICULIFOLIA REICHB. Fl. excurs. p. 414.

Hab. Crescit in regione media Olympi bith. ubi legi Augusto. Ericinea foliis floribusque coccineis gracillimis.

ARBUTUS ANDRACHNE LAM.

Hab. In monte *Pentilico* haud longe ab Athenis. Arbuscula elegans, cortice lucido in squamas papyraceas tenues secedente, more *Platani*.

ARBUTUS UNEDO L.

Hab. Eodem in loco ac praecedens.

PYROLACEAE.

PYROLA SECUNDA L.

Hab. Aegre crescit in Olympi bith. regione alp. Floret Julio.

JASMINEAE.

JASMINUM FRUTICANS L.

Hab. Ipse legi ad sepes circa Brussam asiaticam. Ad radices Olympi bith. in convalle *del Paradiso* nuncupata ab ornatissima Domina Josephina FOSSATI una cum *J. officinali* inventum est, speciminaque utriusque speciei ab Ea comiter accepti.

ASCLEPIADEAE.

CYNANCHUM ERECTUM L.

CYNANCHUM ACUTUM L.

Hab. Circa Brussam utrasque species legi, Jul. Aug. Prior etiam in Graecia mihi se obtulit.

Obs. In speciminibus brussianis *C. erecti* folia forma varia, subinde oblonga; insuper statura elatiori caulibusque debilioribus ab hellenicis differunt.

In *C. acuto* folia interdum cordato-truncata observantur.

GENTIANEAE.

CHLORA PERFOLIATA L.

Hab. In Corcyra.

ERYTHRAEA RAMOSISSIMA PERS.

Hab. In Attica, ad *Kiephyssum*.

GENTIANA LUTEA L.

Hab. Mihi occurrit perrara in regione alpina Olympi bith. qui lina forte australiorae areae hujusce speciei sistit.

GENTIANA VERNA L.

Hab. Eodem loco ac praecedens.

GENTIANA AESTIVA R. et S. — *G. verna angulosa* Fl. rum. 2. p. 63.

Hab. In collibus byzantinis, aestate.

S E S A M E A E .

SESAMUM ORIENTALE L.

Hab. In Attica, ad *Kiephyssum* flumen.

C O N V O L V U L A C E A E .

CONVOLVULUS TENUISSIMUS SM.

Hab. In Attica, ad *Kiephyssum*.

CONVOLVULUS DORYCNium L.

Hab. Legi aestate circa *Pnix* atheniens. Frutex ramis numerosis intricatis nec non facie singulari praeditus, et a congeneribus admodum distinctus.

B O R A G I N E A E .

HELIOTHROPIUM VILLOSUM DESF.

Hab. Copiose provenit circa *Acropolim* atheniensem.

HELIOTHROPIUM EUROPAEUM L.

Hab. Promiscue crescit cum praecedenti specie, ab ea vere distinctum. Tota aestate et autumno florent.

CYNOGLOSSUM PICTUM AIT.

Hab. Circa Byzantium.

ONOSMA PALLIDUM BOISS. ! Diagn. — Ipso teste !

Hab. Legi in sylvulis petrosis prope *Ciamlicia* ultra *Scutarim* asiaticum.

Obs. Pili stellati ! sed antherae toto apice evidenter exsertae ! quo charactera a sectione Prodr. Candolleani *Onosmata* pilis basi stellatis distincta complectente, species haec exulatur.

Accedit nonnullis characteribus ad *O. montanum* ab AUCHERIO ex Asia occidentali advectum, secundum specimina herb. Mus. Parisiens. quibuscum meum comparavi.

ONOSMA ERECTUM SIETH.

Hab. Legi aestate in monte *Hymetto* athen.

GERINTHE PURPUREA Fl. dalmat.

Hab. In insulae Corcyrae monte *Pandokratoru*, et in Olympo bith. legi specimina quae a stirpe dalmatica differunt bracteis minus obtusis, sepalis parce inaequalibus, corolla ?

Num ad *C. minorem* referenda?

ECHIUM ARENARIUM Guss. Fl. sic. Syn. 1. p. 232.

Hab. Legi in sabuletis *Phalerei* atheniensis, ubi floret primo vere.

Obs. Celeberr. GAY auctoritate ductus hanc plantam ad *Echium arenarium* refero, etiamsi notis nonnullis, per quam videre est in speciminibus fructu maturo adhuc carentibus, ad *E. calycinum* accedat. Quomodocumque sit en quae in millenis a me rimatis speciminibus adnotanda veniunt :

Radix tenuis, longa, fibrosa, multicaulis. Caules erecto-adscendentes, pilis longis erecto-patulis hispidi vel tuberculato-hispidi, pollicares vel semipollicares. Folia inferiora obverse lanceolata, in petiolum attenuata, obtusa, vel rarius brevissime subacuminato-apiculata; superiora angustiora vel lanceolato-lineararia, semper obtusiuscula. Foliorum inferiorum verrucae magnae pilique adpressi, discreti; superiorum conferti, e verrucis inconspicuis. Racemi terminales densi, contracti. Calycis segmenta constanter lineari-angustata obtusiuscula. Corolla extus pilosa calyce tertia parte vel duplo longior, limbo semper coeruleo, stamina inclusa.

ECHIUM PLANTAGINEUM L.

Hab. Vere et aestate haud frequens occurrit in collibus argillosis prope Byzantium ultra *il Gran Campo di Pera*.

Obs. Corolla magna, colore violaceo-azureo amoena. Stamina vix exserta vel corollam aequantia. Folia radicalia petiolata, ovata, lata, nervis in pagina prona valde extantibus.

ALKANNA TINCTORIA TAUSCH.

Hab. Ad radices Pentjlici ath.

LITHOSPERMUM SIBTHORPIANUM GRiseb.

Hab. Crescit et floret primo vere in sabuletis prope *Phalereum* atheniensem.

Obs. Planta nunc simplicissima semiuncialis in arena subsepulta, nunc ramis pluribus pollicaribus vel sesquipollicaribus e basi suffulta. Flores azurei, arefactione pallescenti-luteoli, semper minimi.

LITHOSPERMUM TENUIFLORUM L.

Hab. A vere ad aestatem in arvis athen. haud rara, sed difficile visu.

Obs. Planta polymorpha; simplex 1-2-pollicaris, vel inferne ramosa subsphthamea. Forma nucularum et facie *L. arvensi* proxima.

Ad radices montis *Pentilici*, locis sterilioribus, legi specimina semiuncialia, strigoso-sericea, foliis radicalibus petiolatis, obverse ellipticis vel spatulatis; dum in speciminibus planitie, etiam sphthameis, folia radicalia semper angustato-oblonga observavi.

MYOSOTIS OLYMPICA Boiss. ! Diagn. 4. p. 90.

Hab. Legi in summi cacuminis Olympi bith. declivitate septentrionali.

Obs. *Myosotidi alpestri* affinis, a qua magnitudine florum dense confertorum, prae plantae pumilae statura insigni, nuculis oblongo-ovoideis, foliis imis spatulatis, radice, ut videtur, perenni, facieque propria differt.

MYOSOTIS PUSILLA Lois. *albiflora* Clem.

Hab. In sabuletis prope Phalereum Atheniensium, primo vere.

Obs. Differt a specie caulibus magis abbreviatis, caespitulis densioribus, floribus albis nec coeruleis.

MYOSOTIS LITORALIS Stev. — Griseb. Fl. rumel. 2. p. 100?

Hab. Circa *Stadium* prope Athenas, vere.

Obs. Facies praecedentis, sed statim ab ea distinguitur racemis haud bracteatis. Nuculae ovatae laeves, nitidae, saltem ex speciminibus fructu perfecto carentibus. Caeterum mihi adhuc dubia ob specimina nondum satis evoluta.

ASPERUGO PROCUMBENS L.

Hab. In Attica.

MUMBIA CEPHALOTES Boiss. ! var. *breviflora* mihi. — *Arnebia cephalotes* Alph. DC. var.

Hab. Legi una vice in convalle lata quidem, sed fere inaccessa regionis alpinae Olympi bith. latere N. E. Floret Julio decedente.

Obs. Stirps singularis et eximia, onosmadis habitu valde affinis. Specimina a me lecta characteres sequentes genericos exhibent:

Calyx 5-partitus. Corolla hypocrateriformis, fauce nuda, limbo 5-lobato. Stamina 5 inclusa, filamentis brevissimis, antheris liberis, loculis basi breviter solutis. Ovarium 4-lobum, stigma incrassatum, emarginatum. Nuculae 4 vel abortu 1 exanulatae, toro insertae.

Differt a specie: calyce longiore, tubum corollinum aequante vel subaequante, nec *quarta vel tertia parte brevior*; antheris brevibus, oblongo-ellipticis, nec *oblongo-linearibus*, verticillatim, nec *biseriatim insertis*.

An *Munbya* loco *Mumbiae* ex cl. MUNBY genus scribendum?

SOLANACEAE.

DATURA STRAMONIUM L.

Hab. In Attica, ad *Kiephyssum*.

LYCIUM EUROPAEUM L.

Hab. In Corcyra.

SOLANUM HUMILE BERNH.

Hab. In planitie atheniensi, autumnis.

Statura 2-3-pedali et ultra occurrit!

SOLANUM NIGRUM L.

Hab. In Attica, cum praecedente.

PERSONATAE.

VERBASCUM SINUATUM L.?

Hab. In agro byzantino et circa Scutarim.

Obs. *Verbascum sinuato* Europae australioris omnino simile et pariter ac illud summopere ludibundum forma, magnitudine, sinibus, incisuris foliorum, quae subinde integra. In specimenibus, quae hic memorantur, folia omnia semidecurrentia vidi. Corollae segmenta elongata, linguaeformia.

V. sinuatum Macedoniam, Thraciam, Calcidem, Pontum Euxinum et Bosphorum prope Scutarim quoque incolit, teste cl. GRISEBACHIO.

VERBASCUM UNDULATUM LAM.

Hab. Legi aestate in planitie atheniensi prope Acropolim, quo loco folia insigniter lanuginosa, caulesque, etsi tantum bispithamei, lignosi et robusti evadunt.

SCROPHULARIA SCOPOLI HOPPE! BERTOL. Fl. ital. VI. 386 — non PERSOON Synops. 2. p. 160 — ad specimina autentica herb. Webbiani!

Hab. Legi in Olympi bith. regione alpina, socia *Potentilla Buccoana* mihi. Floret Augusto.

LINARIA TRIPHYLLA DESF.

LINARIA MICRANTHA STEUD.

Hab. In arvis atheniensibus promiscue reperiuntur vere.

Obs. Ambae statura et ramificatione summopere variant; characteribus uniuscujusque tamen immutatis.

LINARIA SPURIA MILL.

Hab. In insula Corcyra, et in arvis prope *Katikioi* ultra Scutarim asiaticum.

LINARIA GENISTIFOLIA MILL.

Hab. In sylvulis collinis visque reconditis prope Bosphorum.

LINARIA PELISSERIANA MILL.?

Hab. Cum praecedente eodemque tempore florens, licet vere et aestate.

Obs. Foliis stolonum plerumque oppositis rarissime quaternis, segmentis calycis capsulam immaturam aequantibus, eademque matura superantibus, nec segmentis *duplo longioribus*.

VERONICA CAESPITOSA BOISS. ! Diagn. 4. p. 79. — GRISEB. Flor. rumel. 2. p. 512.

β . *caulescens* CLEM.: caespitulis laxiusculis, ramulis elongatis 2-pollicaribus, foliis remotiusculis tenuioribus linearibus.

Hab. Legi speciem et varietatem in calcareis regionis alpinae Olympi bith. ubi frequens Junio, Julio.

Obs. Specimina ferme innumera varietatis α , sive speciei a me in loco adducto collecta, caules undique exhibent foliosos. Folia ei insuper

sunt linearia, margine admodum revoluta, apice conoideo-falcata nec lineari-spathulata; pedunculi bractea obverse lanceolata quadruplo breviores nequaquam vere bracteas aequantes.

VERONICA GENTIANOIDES SM.

Hab. Stirps in Olympi bith. pascuis alpinis frigidioribus minus frequens. Floret Junio, Julio.

VERONICA GLAUCA SIBTH. et SM.

VERONICA BECCABUNGA L.

Hab. In arvis atheniensibus abunde crescunt. Legi etiam ambas ad radices montis *Pentilici* ubi prior crescit simplicissima, filiformis, pollicaris; secunda foliis admodum tenuibus crebrisque vestitur.

VERONICA ACINIFOLIA L.

VERONICA AGRESTIS L.

VERONICA CAMPESTRIS L.

VERONICA ARVENSIS L.

VERONICA CYMBALARIA BERTOL.

Hab. Omnes, ab italicis non dissimiles, in agro byzantino abunde proveniunt et florent vere et aestate.

PEDICULARIS SIETHORPHI BOISS. ! Diagn.

Hab. Haud frequens in summi cacuminis Olympi bith. declivitatibus calcareis. Floret Augusto. *Pediculari comosae* proxima.

PEDICULARIS OLYMPICA BOISS. ! Diagn.

Hab. Praecedente magis rara et praecocior; crescit iisdem locis. Foliis angustissimis et facie a congeneribus abunde diversa.

EUPHRASIA LATIFOLIA L.

Hab. In cultis collinis prope Byzantium haud frequens occurrit primo vere, interdum perpusilla, caule filiformi.

ODONTITES IXODES BOISS. ! Diagn.

Hab. Crescit solitaria in regione abietis Olympi bith. et floret Augusto mense.

Obs. Stirps ab *Euphrasia Odontide* optime distincta.

Omnes plantulae partes et praesertim prima arefactione viscosissimae.

L A B I A T A E .

LAVANDULA CARIENSIS Boiss. ! Diagn. 5. p. 3.

Hab. In collibus apricis prope Bosphorum. Floret Junio, Julio.

Obs. *Lavandulae pedunculatae* habitu non absimilis; differt vero, adnotante cl. BOISSIERO, indumento in ramis floriferis tenuiore, bracteis exquisite nervosis, denticulatis, calycis valde nervosi appendiculo sessili, spicis densioribus, crassioribusque, caeterisque.

MENTHA TOMENTOSA D'URVILL.

Hab. In planitie locisque collinis atheniensibus copiose crescit et floret tota aestate.

Obs. Foliorum cauliumque magnitudine, florum numero in unoquoque verticillo nec non tomento facieque admodum varia.

MENTHA AQUATICA L.

MENTHA PULEGIUM L.

Hab. Cum praecedente vulgatissimae.

SALVIA FORSKALII L.

α. *Byzantina*: foliis oblongatis, basi plus minusve hastato-lyratis, corollae tubo calyce sesquolongiore.

β. *Brussiana*: foliis exacte cordato-ovatis, petiolis nudis, corollae tubo calyce duplo longiore.

Hab. α. crescit in sylvulis byzantinis prope *Maslak*. — β. in brussianis prope *Demerdesch*, aestate.

Obs. Varietates hujusce speciei a cl. GRISEBACHO, Fl. rumel. 2. p. 100, adhibitae, *bifida* nempe et *bithynica*, formae foliorum rotundatorum aut elongatorum, figurae tubi corollae rectiusculi aut recurvato-adscedentis, staminumque proportionem superstructi, admitti nequeunt. Hi enim characteres in permultis saltem speciminibus a me observatis, inferioris notae, nec constantes, me iudice, ullo pacto hanc speciem in duas inter se distinctas, ut vellet cl. GRISEBACH, separari sinunt. In tanta speciei versatilitate, characteribus a foliorum figura et corollarum longitudine desumptis unice attendendum est.

Pili in utraque varietatum memoratarum inaequaliter sparsi, nitiduli, in facie foliorum copiosiores. Stamina in utraque exserta.

SALVIA VERBENACA L.

Hab. In pascuis collinis prope Byzantium ubi *S. pratensis* locum tenere videtur. Floret tota aestate.

In herbidis suburbanis etiam varietatem *clandestinam* BENTH. reperi, nec non in aggeribus prope Athenas.

SALVIA VERTICILLATA L.

Hab. In agro scutariano ultra *Katikioi* (*Chalcedoniam*). Aestate.

ORIGANUM HIRTUM BENTH.

Hab. Abunde provenit in collibus insul. Corcyrae, ubi *O. nostri vulgaris* locum tenet. Floret tota aestate.

ORIGANUM VIRENS LK. — GRISEB. Fl. rumi. 2. p. 115.

Hab. In Olympi bith. regione subalpina, haud frequens.

Obs. Ab auctoribus nonnullis et ab ipso celeb. C. SAVIO (Osserv. Origan. 1840) ut varietas *O. vulgaris* habetur; ipse vero propriis innixus observationibus, cum cl. LINK, GUSSONE, GRISEBACH, aliisque a *vulgari* sedulo distinguendum esse censeo. Ab illo revera, facie propria, caule brachiato-ramoso, foliis bracteisque pallide virentibus, bracteis eglandulosis calyce glandulifero conspicue longioribus, spicis abbreviatis facile distinguitur.

Folia caulina in nostro ovato-subacuta, integra vel plerumque remote, obsolete serrata, ciliataque, ramea minora.

MICROMERIA GRAECA Auct.

Hab. Legi in insula Corcyra.

Obs. In eadem insula cum *M. graeca*, *M. Julianam* BENTH. legi. Praeterea substrati conditionibus paulisper mutatis in iisdem locis alia innumera specimina *Micromeriae* huc et illuc observavi, quae characteres *M. Julianae* et *graecae* vicissim et promiscue exhibent. Folia vel figura vel situ ex internodiorum longitudine varia, indumentum plus vel minus densum, statura, caulium divisio, facies denique, omnia uno verbo sumopere mutabilia, sed omnes hujusmodi variationes singillatim enumerare supervacaneum puto. Animadvertendum autem existimo nonnulla specimina bracteolas calyces subaequantas et fauces nudas ut in *M. Juliana* praebere, corymbis autem paucifloris, irregulariter et parce fastigiatis

ut in *M. graeca* vestiri. E contra in nonnullis aliis bracteolas abbreviatis, fauces barbatae ut in *M. graeca* et corymbos densifloros exacte fastigiatis ut in *M. Juliana* observavi. Et sic aliorum characterum differentialium *M. Julianae* et *M. graecae* lusum frequentissimum illis in locis adnotavi. Quid plura? In ipso eodemque specimine, ramulus alter characteres et faciem *M. Julianae*, alter *M. graecae*, ni fallor, praebet!

Hisce perpersis, nec non iis quae de *Micromeriae graecae* lusibus fere innumeris celeberr. BERTOLONI, GUSSONE, BENTHAM aliique protulerunt, *M. Julianam* et *M. graecam* varietates tantum insignes ejusdem typi sistere contendo.

THYMBRA CAPITATA GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 127.

Hab. Legi in insula Corcyra, ubi capituli minores quam in stirpe dalmatica observantur.

THYMBRA SPICATA L.

Hab. Admodum prosperat in collibus ad *Demerdesch* ditone brusiiana, ubi caespites 1-2-pedales, densissimos efformat. Floret autumno incipiente vel antea.

SATUREJA THYMBRA L.

Hab. Vulgatissima in planitie superiori atheniensi. Floret vere et aestate.

CALAMINTHA INCANA BOISS. et HELDR.

Hab. In planitie atheniensi.

Obs. In Corcyra insula legi specimina minus incana, foliis amplioribus facieque a stirpe graeca divergentia.

THYMUS ZYGIS L.

Hab. In monte Hymetto atheniense.

THYMUS SERPYLLUM L.

Hab. Cum praecedente, nec non in collibus byzantinis.

LAMIUM MANGANOTTIANUM mihi. — *L. veronicaefolium*, reniforme, *bithynicum* BENTH. — *L. striatum* SIBTH. — *Dracocephalum lamifolium* DESF.

L. perenne; caulibus erecto-ascendentibus, fistulosis, crassis, interdum filiformibus subfartis; foliis cordato-ovatis plus minusve abbreviatis

reniformibusve, crenatis vel crenato-incisis lobatisve, inferioribus longissime petiolatis, omnibus glabris; verticillastris 2-8-floris; calycinis dentibus lanceolato-acuminatis plus minusve divaricato-patentibus; corollae calyce 3-4-plo longioris tubo subrecto in faucem abrupte dilatato; galea bifida utrinque bidentata.

Hab. In Olympo bith. locis compluribus. Floret Augusto mense.

Obs. In lapidosis alpinis reconditis montis citati *L. veronicaefolium* BENTH. crescit et floret mense citato. Iisdem localitatibus eodemque tempore *L. bithynicum* BENTH. et *L. striatum* SIBTH. promiscue crescunt evidentissimeque ab uno in alterum transitum faciunt. Nunc planta ex saxis gracillima extrahitur et foliis parvis, rotundato-reniformibus, floribusque maximis vestitur (*L. veronicaefolium*, vel *L. reniforme* BENTH.). Nunc e contra magis evolvitur, caules grandiores et crassiores mittit, foliisque minus rotundatis et magis cordatis vestitur (*L. bithynicum* BENTH.). Tandem omnibus vegetationis partibus, solo aliisque conditionibus faventibus maximam perfectamque evolutionem attingit (*L. striatum* SIBTH. — *Dracocephalum lamifolium* DESF.); et hac ultima forma ad *L. garganicum* vergit.

Formas superius memoratas cum speciminibus autenticis Mus. Paris. comparavi, nec ullum de earum identitate mihi dubium superest. Alias formas porro innumeras locis citatis observavi, quae satis superque ostendunt species omnes et synonyma huc comparata unicum mutabilissimamque constituere stirpem.

LAMIUM AMPLEXICAULE L.

Hab. In Attica.

STACHYS ITALICA JAN.

Hab. In collibus constantinopolitanis raro occurrit aestate, a nostra nullimode diversa.

SIDERITIS TAURICA W.

Hab. In regione alpina Olympi bith. in latere austro-orientali, decedente Augusto et Septembre.

Obs. Folia oblanceolata vel obovata, nec lanceolata; bractee rombeo-cordatae acuminatae, nec tantum cordato-acuminatae.

BALLOTA ACETABULOSA BENTH.**BALLOTA NIGRA L.**

Hab. In Attica; prior in planitie, altera ad radices Pentilici.

MARRUBIUM VULGARE var. *apulum* TEN.

Hab. In planitie atheniensis locis siccioribus aestate legi.

Lana densissima candidissima; verticilli 40-60-flori, fructiferi valde compacti.

PHLOMIS FERRUGINEA TEN.

Hab. Legi in collibus prope *Demerdesch* ditione brussiana. Augusto.

Obs. Pili omnes stipitato-stellati, stipitulo tuberculo insidente, in caule laxiores, in facie foliorum robustiores rariores, in dorso minutissimi et crebri. Folia inferiora profunde cordata ovato-abbreviata, summa lanceolato-subcordata. Subulae calycinae longitudine variae.

PHLOMIS FRUTICOSA L.

Hab. In sterilibus Atticae tantum observavi, nec ullam reperi in agro constantinopolitano.

SCUTELLARIA ORIENTALIS β . *pinnatifida* BENTH. in DC. Prod. 12. p. 413.
— *S. orientalis* L. AUCH. in herb. Mus. Paris.

S. caule fruticoso, ramoso, prostrato; ramulis adscendentibus foliisque pilosulis, parvis, cordato-oblongis, petiolatis, oppositis, pectinato-pinnatifidis; laciniis lineari-obtusiusculis, subtus nervosis, facie ad nervos sulcis profundis impressis; superioribus bracteiformibus, pilosioribus, ovato-oblongis ellipticisve, obtusis acuminatisve, inferioribus dentatis superioribus integerrimis; floribus axillaribus, breviter pedunculatis, adproximatis, spicam terminalem capituliformem mentientibus; calycibus minimis obsolete bilabiatis corollisque flavis pilosis.

Hab. Abunde provenit in saxosis alpinis Olympi bith. caurum spectantibus. Floret Augusto mense.

Corollae labium superius rotundato-obtusum; inferioris trilobi lobi laterales parvi, medius elongatus, carinato-rostratus, truncatus. Folia etiam glandulis raris notata.

S. orientalis vulgaris differt a nostra praesertim foliis ovato-oblongis, pinnatifido-dentatis, subtus incano-tomentosis, bracteis subintegerrimis.

Praeterea planta nostra magis contracta, ob ramos primarios lignescentes iterum divisos tortuoso-repentes.

SCUTELLARIA PEREGRINA L.

Hab. In insula Corcyra.

AJUGA LANMANNI BENTH.

Calyx 5-fidus, nec 5-dentatus vel 5-lobus ut in *Ajuga*; nec 5-dentatus aut bilobus ut in *Teucrio*. Corolla cum stylo marcescens, nec cum illo decidua ut in *Teucrio*. Labii superioris loco fissura utroque latere dentata, nec labium superius brevissimum bifidum ut in *Ajuga*. Labium inferius 3-lobum, labello bifido (licet labium inferius 4-fidum), nec 5-lobum ut in *Teucrio*. An genus distinguendum?

Ut melius stirpis nostrae morphosis botanicis pateat, descriptionem sequentem addendam puto.

Perennis; pilis longis articulatis villosa-scabra. Caules basi ramosi, rotundato-angulati. Folia venoso-subtrinervia, elliptica vel oblongo-elliptica, obtusa; inferiora minora, basi angustata caulinaque media antice remote et obtuse dentata, interdum emarginata; superiora integerrima bracteantia floribusque spicato-axillaribus longiora. Calycis 5-fidis dentes oblongi, obtusiusculi, subaequales. Corollae luteolae labii superioris loco fissura utroque latere dente lineari barbato praedita. Labium inferius trilobum, lobo medio elongato-bilobo, lobulis crenulatis. Tubum supra basim villis densis annulatum. Nuculae dorso convexae, punctato-foveolatae.

Hab. Crescit in dumetis alpinis inferioribus Olympi bith., ubi specimen herb. exsiccati legi Augusto mense. Floret Julio.

AJUGA ORIENTALIS L.

Hab. In sylvulis abietinis Olympi bith. solitaria crescit, et floret Junio, Julio.

Folia valde elongata, obverse lanceolata, nec tantum *ovata*, ut in phrasi Linneana stirpis olympica exhibet.

AJUGA CHAMAEPITYS SCHREB.

Hab. Ad radices *Pentilici* atheniensis.

TEUCRIUM FLAVUM L.

TEUCRIUM POLIUM L.

Hab. In insula Coreyra frequenter occurrunt ad radices montis *Pandokratora*.

TEUCRIUM SCORDIOIDES SCHREB.

Hab. In monte *Pentilico* atheniensi.

VITEX AGNUS L.

Hab. In Coreyra et in Attica.

L E N T I B U L A R I E A E.

PINGUICULA ALPINA L.

Hab. Mihi occurrit rarissima ad rivulos alpinos Olympi bith. Floret Junio, Julio.

Cum specimenibus in alpibus italicis lectis exacte congruit.

P R I M U L A C E A E.

ANAGALLIS PHOENICEA LAM.

ANAGALLIS COERULEA SCHREB.

Hab. In Attica, ad *Kiephyssum*.

LYSIMACHIA ATROPURPUREA L.

Hab. Uno loco in declivitatibus glareosis ad Bosphorum, *Mastak* pagum versus, sponte crescentem reperi aestate.

Stirps pro inflorescentia speciosa.

ANDROSACE OLYMPICA BOISS. ! Diagn. 4. p. 37. — *A. villosa* SIBTH. — GRISEB. Fl. rum. p. 512.

Hab. In cacuminibus alpinis minoribus Olympi bith. reperi Augusto; eodem loco ubi cl. SIBTH. suam *Androsacem villosam* collegit.

Obs. Plantae statura, indumento, facieque summo opere versatilis characteres potiores ex specimenibus innumeris a me collectis depromptos exhibeo.

A. perennis, caespitosa: in anthesi nana, pilis simplicibus articulatis, in scapo longioribus, laxiusculis, canescens; fructifera elongata, glabriuscula

in aequo, raris, non saepe in umbra, humilis obtusa, marginibus
 serratis, subtruncatis. Squis truncatum lobatis, minutis, tubus
 lobatis, minutis, in usque multum squamulibus, obtusis, apicibus
 linearis-lanceolatis vel ovatis-lanceolatis obtusis, tubum longitudine super-
 antibus, ovatis lobis vel palmis ovatis, circa lobum lobis purpureo-
 scissis, lobis ovatis, minutis, lobis lobum angustis, sessilibus sub-
 rotunda, glabra.

PROTEA ANTIQUA L.

Hab. Rare occurit in Olympi hiti, regione alpina inferiori, locisque
 montibus trigonibusque antea. Flore Julii.

CYCLAMEN ROSEUM W.

CYCLAMEN HEDERIFOLIUM Sw.

Hab. Ambae species in ditone athenensi hoc et illic occurrunt.
C. Hederifolium in monte *Parnis* praecipue observari, et *C. roseum*
 in monte *Paros* *Thessalica*. Florenti autumnis.

SANDALS UERRANDI L.

Hab. ad *montes Parnis*.

STYRACINEAE.

STYRAX OFFICINENS L.

Hab. In *Attica* ad *Figyrium* et *Byzanti*.

GLOBULARIEAE.

GLOBULARIA AUSTRI L.

Hab. In civitatibus minoribus infra *Athens* et *Parnis* montem una
 cum aliis multis antecessis surpibus exorna. Flore primo vere.

PLUMBAGINEAE.

ALCANTHOLON ANDROSACHEE Ross. *f. olympicum* Eysch.

Hab. Floret in regione alpina Olympi hiti. Augusto mense.

Proter ramosissimus, raris in caespitibus emisphericis densis or-
 gatis, floribusque roseo-purpureo-albide ornatis. Pulcherrimus.

STATICE GRAECA β . *microphylla* Boiss. in DC. Prodr.

Hab. Abunde provenit in litore prope *Kalamaki* ultra isthmum Corinthi.

Statura perquam variabilis.

PLUMBAGO EUROPAEA L.

Hab. Ad vias in proximitatibus atheniensibus aestate.

PLANTAGINEAE.

PLANTAGO GENTIANOIDES SM. — *P. gentianoides* α . GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 363.

Hab. Crescit in aquis lente fluentibus frigidisque Olympi bith. regionis alpinae inferioris. Legi Augusto.

Obs. Tota glabra; radice incrassata; scapis adscendentibus substriatis; foliis ellipticis vel elliptico-lanceolatis, 3-nerviis, in petiolum attenuato-decurrentibus, sparse et irregulariter dentatis, lucidis; spica lineari-cylindrica, fructifera subinterrupta; bracteis ovatis, obtusiusculis, atropurpureis, involucello brevioribus; involucelli segmentis obovatis, dorso atropurpureis, margine cartilagineo-rubescenti: calycis campanulati purpurascens lobis oblongis apice rotundatis: antheris luteo-albis, ellipticis, basi solutis, apice mucronatis; capsulis oblongis superne attenuatis styli basi persistente mucronatis, atropurpureis, calycem duplo superantibus. dispersis; seminibus oblongo-ellipticis, complanatis, rugulosis, atropurpureis.

Species a congeneribus omnibus scapigeris distinctissima.

PLANTAGO LANCEOLATA *gossypina* CLEM.

P. scapis gracillimis, 1-3 pollicaribus, foliis angustatis, linearibusve. tomento candidissimo vestitis, spicis rotundato-ovatis. bracteis ovato-acuminato-subulatis.

Hab. Crescit in collibus sterilibus circa Byzantium et Scutarim. Floret aestate.

Obs. Forma, foliorum tomento plus minusve denso. bracteisque ovato-acuminatis, subulatis, spectabilis.

Prostat in herbario Webbiano ex Asia minore sub nomine *P. lanceolatae*.

PLANTAGO MARITIMA *alpina* CLEM.

Hab. In alpinis Olympi bith. vulgatissima. Species polymorpha.

PLANTAGO BELLARDI ALL.

Hab. In agri byzantini locis collinis. Plerumque pusilla hirsutissima.

PLANTAGO PSYLLIUM L.

Hab. In planitie circa Athenas.

Statura varia, subinde semiuncialis, caule simplicissimo, capitulis paucifloris.

C H E N O P O D I E A E.

POLYCNEMUM ARVENSE L.

Hab. In collibus byzantinis haec etiam stirps summopere ludit statura, quae saepissime vix unciam adaequat. Floret aestate.

SALICORNIA FRUTICOSA L.

SCHOBERIA FRUTICOSA C. A. M.

Hab. In litore prope *Kalamaki* ad Corinthum.

ATRIPLEX ROSEUM L.

ATRIPLEX PORTULACOIDES L.

Hab. Ad litora prope *Kalamaki*.

ATRIPLEX LITORALE L.

Hab. In *Corcyra* insula.

ATRIPLEX HORTENSIS L.

Hab. In palustribus locis prope *Phalereum* athen. sponte crescit. sed olim forte culta.

ATRIPLEX HALYMUS L.

Hab. In *Attica*.

CHENOPODIUM ALBUM L.

Hab. Ad litora prope *Kalamaki* corinthiacum.

CHENOPODIUM VULVARIA L.

Hab. Ad pedes montis *Pentilici* et *Hymetti*.

Obs. Hoc ultimo loco planta foliis omnibus minutissimis vestitur.

SALSOLA KALI L.

Hab. In *Corcyra*.

SALSOLA TRAGUS L.

Hab. Circa *Athenas*.

POLYONEAE.

RUMEX ALPINUS L.

RUMEX DIGYNUS L.

Hab. In sylvaticis alpinis *Olympi* bith.

RUMEX ACETOSELLA L.

Hab. In proximitatibus byzantinis haud frequens.

RUMEX BUCEPHALOPHORUS L.

Hab. In collibus byzantinis nec non in tota *Graecia* vulgatissimum et admodum mutabilem observavi.

POLYGONUM MARITIMUM L.

Hab. In litore prope *Kalamaki* vulgatissimum.

POLYGONUM ALPINUM var. *olympicum* CLEM.

P. radice oblonga, incrassata, fere tuberiforme; caulibus ad ochreas parce pilosis; foliis lanceolatis acutis, facie dorsoque glabris, minutissime ciliolatis; perigonii laciniis oblongis obtusis; stylis tribus statim deciduis; nuculis nitidis acutissimis trigonis, faciebus canaliculatis perigonio sesquiligioribus.

Hab. Legi in dirutis calcareis regionis alpinae *Olympi* bith. Augusto mense.

POLYGONUM VENANTIANUM mihi.

P. glabrum, ramosum, subglaucescens; caule, vel ramo centrali erecto, ceteris prostratis vel prostrato-adscendentibus; foliis lineari-lanceolatis,

utrinque angustatis; vaginis setaceo-laceris; floribus 5-andris axillaribus, fasciculatis, pediolatis; pediolis perigonium subaequantibus; fasciculis 2-multifloris, distantibus, racemum gracilem elongatum interruptum mentientibus; perigonii laciniis obovatis, antice rotundatis, patentibus, lactissime roseis, imo dorso virentibus; stylis tribus abbreviatis; nucula faciebus concavis, superne attenuata, a basi styli persistente rostrata, rugulosa, sparse furfuracea.

Hab. Abunde provenit in arvis argillosis *Mastak* pagum versus, in ditione byzantina.

Obs. *P. arenario* W. K. affinis; sed stipulis setaceo-laceris scariosis, nec membranaceis acutiusculis, racemis gracillimis admodum elongatis interruptisque nec terminalibus, floribus pentandris, nec octandris, et tandem habitu peculiari diversus.

POLYGONUM AVICULARE L.

Hab. In Attica et Byzantii.

POLYGONUM CONVULVULUS L.

Hab. Byzantii.

T H Y M E L E A E .

PASSERINA HIRSUTA L.

Hab. In planitie atheniensi superiori vulgatissima. Flores etiam monoici et dioici observantur. Fere toto anno floret.

CLAMIDANTHUS TARTONREIRA C. A. M.

Hab. Copiose reperitur ad radices montis *Pentilici* atheniensis, ubi floret primo vere.

Obs. Frutex argenteo colore splendens, ramosissimus, superne dense foliosus. In speciminibus nostris ramuli potius villososericei quam pubescentes et flores luteoli nec albidii adnotantur.

DAPHNE JASMINIFOLIA SM. ex GRISEB. Fl. rum. 2. 320. — *D. glandulosa* BERTOL. — *D. oleoides* BOISS. Voyag. espagn. ex GRISEB.

D. ramosissima, semiorgyialis, dense caespitosa; ramulis, in sicco, profunde sulcato-angulatis rubentibus, plerumque parce pilosis; foliis carnosocoriaceis obovatis spatulatisve obtusis, rarius elliptico-oblancheolatis

obtusiusculis, glabris rariusve sparsim pilosulis, supra laete virentibus, subtus pallidioribus; floribus fasciculatis terminalibus, subquaternis, brevissime pedicellatis; perigonio albedo inodoro, extus adpresse pilososericeo, lobis linearilanceolatis, obtusiusculis, tubi longitudinem aequantibus; drupa juniore oblonga, perigonio inclusa, exsucca; matura libera, rotundata, succosa, rubra.

Hab. Copiose provenit in pratis alpinis inferioribus Olympi bith. et floret Augusto mense.

Obs. Cortex caulis fuscescens, rimulosus. Folia, in sicco, laeviter margine incrassata, facie sub lente acriori levissime impresso-punctata, dorso vero plus vel minus conspicue punctis creberrimis expallentibus notata.

Nomen a celeberrimo BERTOLONI (Amoenit. ital. p. 356) huic speciei inditum, ni fallimur, ineptum est: revera glandulae, sic dictae, in pagina foliorum inferiorum obviae, in speciminibus saltem quae ad manus habemus nil aliud, microscopii ope, esse videntur, nisi stomata, quorum margo supra epidermidem plus minusve prominet!!

Caeterum species nonnihil varia videtur, foliis oblongo-obovatis, obovatis, spathulatisve, apice acutiusculis vel brevissime mucronulatis, statura a spithama ad orgyam dimidiam et ultra.

L A U R I N E A E.

LAURUS NOBILIS L.

Hab. In monte *Parnis* atheniens.

S A N T A L A C E A E.

OSYRIS ALBA L.

Hab. In *Corcyra* et *Hymetto* atheniens.

E U P H O R B I A C E A E.

EUPHORBIA CHAMAESYCE L. var. *canescens*.

Hab. In locis incultis et in areis pagorum atheniens. aestate.

Obs. Ad aggeres prope *Phanaraki* ultra *Scutarim* specimina magis evoluta, caulibus adscendentibus, foliis 4-6-plo longioribus et latioribus minusque pilosis legi.

EUPHORBIA EXIGUA L.

Hab. In herbidis collinis circa Byzantium rara. Statura pusilla, omnibus partibus vere exiguis, sed semper multicaulis.

EUPHORBIA PEPLIS L.

Hab. Legi in insula Corcyra; nec non in litore prope *Kalamaki* ultra isthmum Corinthi, ubi foliis admodum pruinoso-canescens vestitur. Floret Julio et Augusto.

EUPHORBIA PEPLOIDES GOUAN! — *E. rotundifolia* LOISL. Not. tab. VI. fig. 1. rudis.

Hab. Crescit et floret vere in dumetis ad ripam Bosphori europaeam.

Obs. In innumeris a me collectis speciminibus, caulis e basi simplici, erecta vel prostrata, fere corymbose ramosus, ramis adsurgentibus. Folia tenuiter membranacea, tenuiterque venosa, obovato-cuneata, subrombea, non semper orbiculata, plerumque obsolete emarginata, inferiora dorso rubentia. Folia, umbellam parvam, vulgo 3-radiatam, involucrentia, elliptico-subrotunda, involucrellorum vero cordato-ovata, tenuiter apiculata. Semina subhexagona, faciebus binis contiguis foveola longitudinali exaratis, caeteris 3-4-5-foveolatis variis, foveolis fundo obscure rubentibus. Radix fibrosa, fibris tenuissimis comantibus. In reliquis convenit cum descriptione Fl. rumel. (1. p. 138), clarissimoque GRISEBACHIO qui ab *E. Peplo* distinctam esse declarat libentissime assentior.

EUPHORBIA HELIOSCOPIA L.

Hab. Ad vias circa Byzantium.

EUPHORBIA PUMILA SIBTH. Fl. graec. tab. 46o.

Hab. Crescit in Olympi bith. regione alpina cum *Astrag. Sibthorpiano* promiscue. Legi Augusto.

Obs. Collata cum descriptione Fl. rumelic. 1. 141 nostra recedere videtur caulibus ramosis, spithameis longioribusque, omnino glabris, nec *simplicibus digitalibus puberulis*; seminibus juxta raphem linea purpurea (canaliculo) notatis, nec *bisulcatis*.

In Fl. rumelica planta Sibthorpiana ejusdem montis incola asseritur.

EUPHORBIA APIOS L.

Hab. Species in insula Creta primum reperta, ad radices montis

Pentilici atheniensis in solo calcareo et aprico nec alibi adnotavi. Floret primo vere.

Obs. Folia omnia lanceolata vel anguste obovato-elliptica obtusa, nec in ramis floriferis *subrotundo-ovata* (PERS. Synops.) observavi.

EUPHORBIA PILOSA L.

EUPHORBIA FALCATA L.

EUPHORBIA CHARACIAS L.

Hab. In arvis et pascuis circa Athenas abunde crescunt.

EUPHORBIA MYRSINITES L.

Hab. In monte *Parnis* atheniense.

CROZOPHORA VERBASCIFOLIA JUSS. *Croton villosum* SIETH.

Hab. Prope *Acropolim* atheniensem frequenter occurrit.

Obs. Quamplurimum variat statura, sed semper tomento denso candidissimoque obvolvitur.

CROZOPHORA TINCTORIA ADR. JUSS.

Hab. Ad *Kiephyssum* flumen in planitie atheniensi.

U R T I C E A E .

URTICA PILULIFERA PERS.

Hab. In umbrosis Atticae locis haud frequens. Floret a vere ad aestatem.

PARIETARIA DIFFUSA KOCH.

Hab. Legi in ruderatis *Parthenonis*, ubi ramosissima et sublignosa crescit. Floret aestate.

PARIETARIA OFFICINALIS *elatior* CLEM.: Bi-tripedalis, a solo adscendens vel erecta; foliis ellipticis grandibus nervosis, longe petiolatis, acuminatis; glomerulis axillaribus cum ramulo intermedio, nunc abortiente et glomerulis duobus lateralibus 4-6-floris centrali faemineo, nunc elongato florifero glomeribus omnibus paucifloris.

Hab. Legi ad litora maris intra sepes prope *Phanaraki*, ditione scutariana.

C O N I F E R A E .

EPHEDRA FRAGILIS DESF.

Hab. In montis *Hymetti* convalle, *fauce* dicta, valde prosperat, et floret aestate decedente.

Obs. Statura etiam biorgyalis et ultra; ramis longissimis ex arboribus, supra quas planta scandit, dependentibus; baccis subcaesio-rubris.

JUNIPERUS NANA W.

Hab. In summitatibus Olympi bith. aegre crescit.

JUNIPERUS OXYCEDRUS L.

Hab. In monte *Parnis* atheniens. legi. Baccae rubrae.

JUNIPERUS PHOENICEA L.

Hab. In monte *Hymetto* et ad litora prope isthmum Corinthi abunde crescit.

ABIES APOLLINIS LK.

Hab. In monte *Parnis* atheniens.

PINUS HALEPENSIS ALT.

Hab. In *Hymetto* meridionali.

A M E N T A C E A E .

QUERCUS AEGYLOPS L.

Hab. Ad pedes *Pentilici* atheniens.

QUERCUS COCCIFERA L.

Hab. In *Corcyra* vulgatissimum.

PLATANUS ORIENTALIS L.

Hab. Sponte in Attica prope *Kiephyssum* flum.

A R O I D E A E .

ARUM TENUIFOLIUM L.

Hab. In monte *Parnis* atheniens.

IRIDEAE.

IRIS PUMILA L.

Hab. Ad radices montis *Pentilici* una vice legi. Flores pallide lutescentes primo vere aperiuntur.

CROCUS SPRUNNERI BOISS. et HELDR.!

Obs. Species pulcherrima, quae montem *Parnis* aliaque loca complura collium atheniensium incolit. Perigonii variant colore albo-azureo-purpurascente. Bulborum tunicae, in anthesi, fenestrato-reticulatae, fructu maturescente minus reticulatae, demum in fibris tenuioribus quasi parallelis solutae. Scapi processu fructificationis magis magisque abbreviati. Legi autumnno.

ROMULEA COLUMNAE SEB. et MAIN.

Hab. In solo duriori atheniensis planitiei frequenter occurrit humilina et pulchella. Floret a vere ad aestatem.

ROMULEA LINAREZII PARLAT.

Hab. Praecedentis minus frequens, ad pedes *Pentilici* locis umbrosis primo vere reperitur.

ASPARAGAEAE.

ASPARAGUS APHYLLUS L.

Hab. Legi prope Athenas ad *Kiephyssum* flumen.

Obs. *A. aphyllus* in Sicilia proveniens a cl. BERTOLONIO (Oss. it. 4. p. 153) in caulis parte superiore ramisque hirtus declaratur; specimina vero omnia quae ipse l. c. legi omnino glabra observantur.

SMILAX ASPERA L.

SMILAX MAURITANICA GUSS.

Hab. Promiscue crescunt et valde mutabiles in planitie collibusque atheniensibus. Tota aestate florent.

AMARYLLIDEAE.

STERNBERGIA LUTEA KER.

Hab. In *Hymetto* meridionali.

L I L I A C E A E .

ASPHODELINE MORISIANA mihi.

A. caule densissime folioso; foliis lanceolato-subulato-triquetris, erectis; racemo spicaeformi, cylindrico, densifloro, subsimplici, bracteis oblongis vel ovato-acutis obtusisque scarioso-argenteo.

Hab. Reperi infra saxa mobilia una localitate sed abunde prope nives perpetuas Olympi bith. latere N. O. Floret Augusto mense.

Radix? Caulis cylindricus, fartus, durus, cum spica circiter bispithameus. Folia crebra, rigida, abbreviata licet m. 0,04 ad 0,08 longa, basi latiuscula, sensim angustata, lanceolato-subulato-triquetra, striata, supra canaliculata, pallide viridia, margine tenuissime cartilagineo-serulata, intus subfartata. Vaginae arctae amplexicaules in folium ovatae, pellucido-membranaceae, demum scariosae. Racemus subspithameus simplex, spicaeformis, cylindricus, densissimus, bracteis magnis, scariosis, ovato-acutis vel ovato-oblongis, vel obtusis argenteo-fulgens. Racemuli sessiles biflori, flosculo altero longius pedicellato abortienti. Perigonium prae racemo parvum, inferum, corollinum, sexpartitum! patens; phyllis subaequalibus lineari-spathulatis, nervo fusco direntis. Stamina sex basi perigonio inserta: 3 perfecta in anthesi perigonium aequantia: 3 sterilescentia prioribus multo minora. Staminum fertilium filamenta e basi plana, filiformia, glabra, antheris duplo longiora. Antherae oblongo-lineares dorso adsiscae, loculis basi discretis. Staminum sterilium filamenta apicem versus (in sicco) subclavulata fusciscentia. Antherae minutae, cordato-ovatae antheris perfectis quadruplo saltem minores, subinde una alterave deficiens. Stylus filiformis perigonium fere aequans, in anthesi declinatus (?) Stigma distincte trilobum!! Capsula ovalis utrinque obtusa, coriacea, basi ad suturas parietales calloso-cartilaginea, loculicido-trivalvis, loculis dispermis. Semina acute triquetra, faciebus elliptico-lanceolatis, canaliculatis, testa fusco nigroque variegata, sub lente minutissime muriculata; hilo lineari angustissimo.

Obs. Ab *Asphodelo luteo* differt foliis inferne latioribus, brevioribus, erectis; racemo exacte cylindrico, densissimo; bracteis conspicue scariosis maximis, plerumque non acuminatis; perigonii minoribus, nec non forma antherarum et stigmati; tandem facie propria ab illo omnino diversa.

ASPHODELUS FISTULOSUS L.

Hab. Circa Athenas.

ORNITHOGALUM EXSCAPUM TEN.

Hab. Legi ad aggeres prope Bosphorum vere et aestate.

Obs. Scapi non desunt, sed semper brevissimi, circiter semipollicares adnotantur.

GAGEA SPATHACEA SCHULT. Syst. VII. p. 541? GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 383!

Hab. Legi mense Aprilis in herbis collinis summitatis *Ciamliciae* ultra Scutarim asiaticum.

Obs. Specimina omnia a me collecta glabra, uniflora, caule foliis 2, 3, alternis bracteaformibus instructo, omnino ut in diagnosi Fl. rumelicae. Aliter vero haec species se prodit, in Europa centrali, ex auctorum germanicorum descriptionibus, folio florali nempe spathaceo ab umbella longe pedunculata 2-5-flora remoto. Planta nostra statura vix 7 centim. excedit, perigonii foliola glabra, oblonga, obtusa 7 millim. longitudinis.

GAGEA ARVENSIS SCHULT. Syst. 7. p. 547.

Hab. In umbrosis humentibus Atticae.

Obs. Folia radicalia 2-3 glabra vel puberula e basi attenuata, in sicco filiformia, florem excedentia, arcuata: caulis glaber, in nostro uniflorus, pedunculo villosus: folia floralia 2 opposita, e basi dilatata, lanceolato-subulata, longitudine inaequalia. Perigonii foliola 3 acuta, 3 obtusiuscula.

SCILLA AUTUMNALIS L.

Hab. Legi specimina in Attica prope *Kiessariany*, nec non in insulae Corcyrae locis apricis.

SCILLA MARITIMA L.

Hab. In Corcyra insula vulgatissima, a maris litoribus ad montes etiam altiores ascendit.

ALLIUM WEBBI mih.

A. bulbo rotundato-ovato, vaginis superne laceris albis demum nigrescentibus vestito; scapo tereti striato plerumque spithameo, ad medium usque vaginato-foliato, vaginis striatis, inferioribus scabris; foliis duobus tribus linearibus, canaliculatis, laevibus, scapum subaequantibus; spathae

bivalvis persistentis phyllis lanceolato-subulatis, inferiore umbella breviora, superiore longiore; umbella multiflora; pediolis longitudine variis divaricato-patulis; perigonii suburceolati lutei phyllis oblongis obtusiusculis; filamentis imo perigonio insertis, compresso-linearibus, cuspidatis phyllorum longitudinem dimidio superantibus, parte exserta purpureo-violaceis; antheris peltatis; stylo stamina superante; capsulis obcordato-triquetris, exsiccatione reticulatis, perigonium vix superantibus; seminibus membranaceis semiovatis nigris.

Species perigonii et filamentorum colore pulcherrima.

Hab. Crescit in lapidosis alpinis Olympi bith. latere N. E. ubi legi die 14 Aug. 1850.

ALLIUM OLYMPICUM Boiss. ! Diagn. Pl. Orient. V. p. 58.

Hab. In Olympi bith. regione abietis crescit et floret Augusto.

Obs. Species *A. montano* Sibth. affinis. Tota planta gracillima. Bulbi parvi. Folia et spatha bivalvis longissima linearia. Pedioles longitudine varii. Perigonii foliola exteriora laete purpurascens, interiora albido-scariosa.

ALLIUM MARGARITACEUM Sibth.

Hab. Floret Augusto mense in collibus brussianis ad *Demerdesch*, nec non in regione subalpina Olympi bith.

Obs. Planta quam colligimus bulbos parvos tunicis argenteo-scariosis vestitos praebet. Folia extant duo vel tria linearia culmo elato breviora. Umbella ovoideo-globosa; pedunculi subaequales, centrales sursum elati densi, exteriores laxiusculi. Flores parvi, phyllis lineari-oblongis, obtusiusculis, scarioso-argenteis, carina vix viridescenti. Filamenta profunde bifida, laciniis lateralibus capillaceis, crispulis, intermedia breviori plus minusve latiori, decidue antherifera. Stylus linearis capsula oblongata acute-triquetra perigonium aequante triplo brevior.

Planta solitaria, splendore argenteo fulgens quasi luxurians.

COLCHICACEAE.

COLCHICUM VARIEGATUM L.

Hab. Legi speciem performosam in summa regione montis *Parnis*. Floret aestate decedente et autumnno.

Perigonium maximum campanulatum, variegato-reticulatum, colore purpureo-roseo laeto praeditum.

COLCHICUM MONTANUM L.

Hab. Cum praecedente.

MERENDERA ATTICA Boiss.!

Hab. Ad radices montis *Cabeti* prope Athenas, ipso in loco in quo a cl. BOISSIERIO primum detecta, hanc pulcherrimam plantam legi vere.

JUNC EAE.

JUNCUS CAPITATUS WEIGL. — KOCH. Syn. ed. 2. p. 841.

Hab. Speciem perpusillam locis humentibus collinis prope Byzantium una vice legi aestate.

JUNCUS STRIATUS GRISEB. Fl. rum. 2. p. 407 an SCHOUBE.?

Hab. In Olympo bith.

Obs. Synonymon Flor. rumelicae mihi vix dubium, sed planta Olympi collata cum descriptione *J. striati* in SCHULTESII Systemate 7. p. 205 notis nonnullis discrepat; nempe foliis non adproximatis, vaginis culmum ex integro non vestientibus; involucrio capitulo saepius longiore.

JUNCUS GLAUCUS ERHN.

Hab. In Attica ad *Kiephyssum* flumen.

LUZULA CAMPESTRIS DESV.

Hab. Circa Byzantium.

CYPERACEAE.

CAREX GLAUCA SCOP.

Hab. In Olympo bith.

CYPERUS BADIUS DESF.

CYPERUS FLAVESCENS L.

CYPERUS FUSCUS L.

Hab. Promiscue crescunt in udis planitiei superior. atheniens.

SCIRPUS SETACEUS L.

Hab. In Olympto bith. ad rivulos subalpinos lente fluentes.

SCIRPUS PALUSTRIS L.

SCIRPUS HOLOSCHOENUS L.

Hab. In agro byzantino.

SCHOENUS NIGRICANS L.

Hab. In Attica.

GRAMINACEAE.

SACCHARUM RAVENNAE L.

Hab. In planitie humidiori atheniense, aestate.

Obs. Insigniter glaucum; caeterum a specie nulla nota diversum.

ANDROPOGON PUBESCENS Vis. Pl. rar. dalm. p. 3.

Hab. Augusti mense specimina corcyrensis, vere atheniensia legi.

Obs. Specimina in saxosis agri atheniensis lecta cum stirpe dalmatica apprimè quadrant; caespites tamen majores et magis contractos pruinososque sistunt. E contra specimina quae in Corcyra legi, sunt minus caespitosa minusque pruinosa; spicae magis pubescentes cum tota planta grandiores.

ANDROPOGON GRILLUS L.

Hab. Circa Byzantium.

PHALARIS CANARIENSIS L.

Hab. Legi aestate ad vias circa Scutarim asiaticum ubi sponte crescere videtur.

POLYPOGON MONSPELIENSIS DESF.

Hab. Circa Byzantium.

LAGURUS OVATUS L.

Hab. In *Hymetto* merid.

ALOPECURUS VAGINATUS PALL. ex KUNTH *Agrostogr.* 1. p. 25. — *A. angustifolius* Sm.

Hab. Crescit in regione alpina Olympi bith., ibique limites vegetationis *A. lanati* exacte signat. Legi Aug. mense.

Obs. Folia caulina abbreviato-linguiformia convoluto-subulata, potius quam linearia (Fl. rumel.) in nostris speciminibus adnotantur. Vaginae admodum inflatae et elongatae sunt. Mucrones glumarum haud breves et paleae inclusae ut in *A. lanato*. Spica villosissima sed minus canescens quam in illo.

ALOPECURUS LANATUS SM. KUNTH. Agrost. 1. p. 25.

Hab. Crescit in declivitatibus calcareis cacuminis Olympi bith. ad stationem usque praecedentis speciei descendens, sed non infra. Floret Augusto.

Obs. Graminacearum stirps insignis; foliis more compositarum nonnullarum constanterque niveo-lanatis!

ALOPECURUS AGRESTIS L.

Hab. Circa Scutarim asiaticum.

PHLEUM ARENARIUM L.

Hab. In monte *Hymetto* atheniense crescit, statura minima, foliisque tenuibus. Legi aestate.

PHLEUM TENUE SCHREB.

Hab. In agro byzantino observavi.

CALAMAGROSTIS OLYMPICA BOISS. Diagn. 5. p. 70. — GRISEB. Fl. rumel. 2. p. 459.

Hab. In pascuis editioribus Olympi bithynici.

Valvulae subaequales, uninerves, laete purpurascens, punctato-pelucidae. Palea inferior tenuiter membranacea, superiore vix longior, apice 4-dentata, 5-nervis!; nervo medio supra basim in aristam flosculo longiorem exeunte; caeteris, quorum exteriores validiores! ultra dentes apicis paleae ipsius productis, et inde palea subsimplici lente 2-aristulata.

Caetera ut in diagnosi clarissimi BOISSIERI. Species insignis!

AGROSTIS VULGARIS WITHER.

Hab. Circa Byzantium.

AGROSTIS VERTICILLATA VILL.

Hab. Ad pedes *Pentilici* atheniens.

AELOCARPUS LITORALIS PARLAT.

Hab. Circa *Kalamaki* ad isthmum Corinthi.

DIGITARIA SANGUINALIS PERS.

Hab. In Attica ad *Kiephyssum*.

CYNODON DACTYLON RICH.

Hab. In Attica et circa Scutarim.

PANICUM CRUS GALLI L.

Hab. In Attica ad *Kiephyssum*.

MILIUM LENDIGERUM L.

Hab. In collibus byzantinis crescit aestate, et tantum caulibus paniculisque brevioribus a planta italica divergit.

MILIUM COERULESCENS DESF.

MILIUM MULTIFLORUM CAV.

Hab. Reperi primum haud frequens in monte *Hymetto*; alterum abunde crescit prope *Kiessariany* aliisque locis atheniensis planitiei. Florent aestate.

HOLCUS LANATUS L.

Hab. In agro byzantino floret vere et aestate.

HOLCUS HALEPENSIS L.

Hab. In Attica ad *Kiephyssum*.

BRIZA MAXIMA L.

BRIZA MEDIA L.

Hab. In Olympo bithynico ambae reperiuntur europeaeis omnino similes, sed statura paullo minores.

CATABROSA VARIEGATA BOISS.

Hab. Legi in pascuis sterilibus alpinis Olympi bith. Augusto.

Obs. Gramen humile, panicula pauciflora, pedunculis patentibus vel reflexis, glumis purpureo-sanguineis.

CATABROSA MINUTA TRIN.

Hab. In editioribus Olympi bithynici! Augusto.

Obs. Collata cum speciminibus *Catabrosae minutae* ex Europa australiori et Africa boreali, nulla nota differre videtur. Species a SMITHIO circa Byzantium, a BUNBAUMIO in Thracia ex Fl. rumelica jam nunc observata, sed a recentioribus ut videtur praetervisa.

POA ALPINA L.

Hab. In Olympi bith. pratis editioribus.

Obs. Variat flosculis basi undique piloso-sericeis, paniculae ramis non semper geminatis; stipulis omnibus longiusculis; foliis latis abbreviatis.

POA MEMORALIS L.

Hab. In eodem monte, sed locis humilioribus.

POA RIGIDA L.

POA BULBOSA L.

POA ANNUA *pumila*.

Hab. Omnes reperiuntur in agro Byzantino.

GLYCERIA MARITIMA MERT. et KOCH.

Hab. Legi aestate vertente in collibus constantinopolitanis.

Obs. Suberecta, vix glaucescens, paniculae rami erectiusculi haud patuli; palea inferiori tenuiter 5-nervia.

DACTYLIS HISPANICA ROTH.

Hab. In collibus sterilibus circa Byzantium crescit, ubi nonnullae aliae hispanicae stirpes, forma quidquam mutata, occurrunt. Legi aestate.

CYNOSURUS ECHINATUS L.

CYNOSURUS ELEGANS DESF.

Hab. Utramque speciem in *Hymetto* meridionali, Julio vertente, legi.

FESTUCA PUNGENS R. et S.

Hab. Legi in regione alpina Olympi bith. locis sterilioribus.

Obs. Planta Olympica foliis rigidissimis crassissimis junceis caeterisque *Festucae pungentis* gaudet, et a *F. glauca* SCHRAD. distinguendam esse existimo. Qui vero *Festucam glaucam*, *duriusculam*, cum *F. ovina* LINNAEI conjungunt profecto errant.

VULPIA MYRUS LK.

VULPIA CILIATA LK.

Hab. In pascuis collinis siccioribus circa Byzantium.

STIPA TORTILIS DESF.

Hab. In *Hymetto* meridionali.

ARISTELLA BROMOIDES BERTOL. Fl. ital. I. p. 690. — *Stipa aristella* L.
— ALL. AUCT. tab. 2. fig. 4.

Hab. In monte *Parnis* atheniensi legi autumnno.

Obs. Collecta cum speciminibus siculis et ligusticis nulla nota essentiali differt! Genus *Aristella* a cl. BERTOLONIO in Fl. ital. conditum pro hac a reliquis *Stiparum* speciebus tum habitu, cum characteribus desciscente, libenter amplectendum esse concedimus.

BRACHYPODIUM RAMOSUM ROEM. et SCHULT.

Hab. Legi in monte *Hymetto* ab Athenis non longe.

Obs. A reliquis generis speciebus, culmis repete ramosis, ramisque adpressis subfastigiatis, foliorum convolutorum distiche patentium tenuitate et rigiditate distinctum. Folia superiori pagina sub vitro dense hispida. Locustae in speciminibus nostris 6-7-floris, flosculis adproximatis; palea inferior arista brevissima rigidula mucronata.

BRACHYPODIUM PINNATUM γ . *coespitosum* KOCH. Syn. p. 944.

Hab. In collibus byzantinis.

Huc forte ducendum *Brachypodium ramosum* Fl. rumelicae.

BROMUS INTERMEDIUS Guss.

Hab. In monte *Hymetto* atheniensi legi aestate. Variat racemo simpliciusculo paucifloro, foliis et culmis minus pilosis.

BROMUS ERECTUS L.

Hab. In Olympo bithynico. Spicae compressae et magis laxae quam in stirpe italica.

GAUDINIA FRAGILIS P. B.

Hab. Crescit in pascuis siccis constantinopolitanis, cui loco et cl. GRISEBACH refert.

Spicae articulationes multo minus fragiles quam in stirpe italica observantur. Floret aestate.

TRITICUM GLAUCUM DESF.

TRITICUM REPENS L.

Hab. In aggeribus sterilioribus ad Bosphorum frequenter occurrunt aestate.

ELYMUS CRINITUS SCHRÖB.

Hab. Legi in collibus byzantinis vere decedente et in m. Hymetto.

Obs. In speciminibus byzantinis a me observatis, characteres speciei paullo aliter se praebent quam in planta a cl. GRISEBACHIO descripta; folia nempe lineari-setacea, convoluta, facie glabrata! Spicae retrorsum valde scabrae. Species aliunde pro loco maxime variabilis, et revera in monte Hymetto atheniensi ipsius speciei complura exemplaria inveni, quae fructu maturescente spicas omnino glabras et folia multo latiora praebent.

HORDEUM DISTICHUM L.

Hab. Prope *Katikoi* (*Chalcedonia*) ad agrorum margines aestate.

Satura plus quam orgyalis; spica abbreviata; radix minus quam in sequenti specie bulbosa.

HORDEUM BULBOSUM L.

Hab. In cultis locisque apricis byzantinis.

SECALE VILLOSA L.

Hab. Ultra Scutarim.

LOLIUM PERENNE L. varietas.

Hab. Legi in siccioribus locis collinis circa Byzantium.

Obs. Haec ubique pervariabilis species, illa regione formam contractam, caules adscendenti-tortuosos, duros, spicas abbreviatas offert.

AEGILOPS NOTARISH mihi.

Ae. Spica oblonga, valvulis spicularum, inferiorum fertilium bifidis, segmento antico dentiformi, postico in aristam valvulis ipsis plus duplo longiorem producto; valvulis spiculae terminalis sterilis integris, angustis, subulato-aristatis, spicam longitudine superantibus; palea inferiore acute bicuspidata,

Hab. Crescit rara in sylvulis collinis circa *Ciamlicia* ultra Scutarim asiaticum. Legi die 25 Junio 1850.

Planta caespitosa. Radix fibrosa, annua? Culmi geniculati, striato-sulcati, geniculis badiis. Vaginae laeviter inflatae merithallos ultra medium amplectentes. Folia linearia subinvoluta, vaginis dimidio breviora, pilis rigidulis patulis adpersa, superiora nuda; omnia ad vaginarum faucem utrinque auriculata, auriculis nervosis, inflexis, albidis; ligulae abbreviatae, truncato-lacerae. Rachidis haud fragilis articuli inferiores 2, 3, abbreviati steriles. Spiculae plerumque 3: inferiores adpressae ventricosae 3-4-florae, flore supremo abortiente: terminalis sterilis. Valvulae nervosae bifidae, segmento antico ovato, ovatoye-lanceolato, postico angustiore, in aristam 2-3-nerviam scaberrimam rigidam attenuato. Valvulae spiculae terminalis tabescentis integrae, e basi lanceolata sensim subulato-aristatae apica longiores. Paleae subchartaceae, harum inferior 5-nervis ex apice contracto longe bidentatae. Caryopsis cymbiformis carina bicostata, superne marginato-coronata, barbataque.

Obs. Facies *Aegilopsis caudata* L. (*Ae. cylindrica* Host. Gram. austr. 2. tab. 7.), sed palearum inferiorum forma ab illa prae ceteris diversa.

AEGILOPS TRIUNCIALIS L. — KUNTH Agrost. 1. p. 458.

Hab. Abunde crescit in herbis collinis prope Byzantium. Tota aestate floret.

Obs. Formam caespitosam et staturam humilem praebet. Arista intermedia longitudine summe variat; quandoque, etiam in glumis inferioribus, laterales aequat, rarissime deest; quo caractere a specie Linneana divergit.

AVENA FATUA L.

Hab. Circa Scutarim.

PSILURUS NARDOIDES TRIN.

Hab. In declivitatibus collinis sterilibus prope Byzantium haud frequens reperitur. Legi quoque, sed perpusillum, in monte *Hymetto* atheniense.

ROTTBOELLIA INCURVATA L. fil.

Hab. In sterilibus constantinopolitanis crescit aestate.

NARDUS ARISTATA L.

Hab. In pascuis editioribus Olympi bith. crescit, sed minus frequens quam in nostris regionibus. Floret tota aestate.

SCHISMUS MARGINATUS P. BEAUV.

Hab. In collibus atheniensibus, circa *Philopappi* monumentum legi.

F I L I C E S .

CHEILANTHES ODORA SWARTZ.

Hab. Inter saxa montis *Hymetti* atheniensis haud raram et minus furfuraceam quam planta dalmatica reperi.

NOTHOCLAENA LANUGINOSA DESV.

Hab. Filix perelegans et rupium fissuras prope *Piraeum* athen. rarissime incola. Legi Martio mense fructificatione adhuc carente.

CETERAC OFFICINARUM W.

Hab. In monte *Parnis* atheniens.

ASPENIUM TRICHOMANES L.

ADIANTUM CAPILLUS L.

Hab. In monte *Pentilico* ath. ad rupium fissuras humentes.



ICONUM EXPLANATIO

TAB. I. — RANUNCULUS CAMOZZIANUS.

- a.* Torus et carpophorus, staminibus duobus et carpella praediti, cum sequentibus multoties aucti; *b.* carpella; *c.* syncarpus; *d.* petalum; *e.* calyx quinquesepalus.

TAB. II. — DIANTHUS CIBRARIUS.

- a.* Ramulus e caespite decerptus; *b.* caulis fistulosi sectio, cum sequentibus multoties aucta; *c.* folii inferioris summitas; *d.* calyx bracteis circumdatus; *e.* bractee calycinae magis auctae; *f.* stamina cum pistillo et petalo.

TAB. III. Fig. 1. — ASPHODELINE MORISIANA.

- a.* Flos duplo auctus, bracteatus, perigonio sexpartito, stigmate trilobo; *b.* anthera fertilis cum sequente quadruplo aucta; *c.* anthera sterilis; *d.* capsulae pars plus quam duplo aucta; *e.* semen quadruplo auctum.

Fig. 2. — POLYGONUM VENANTIANUM.

- f.* Flos triplo auctus et sectus ut stamina quinque pateant; *g.* semen triplo auctum, tricostatum, costis rotundato-obtusis.

TAB. IV. Fig. 1. — LAMIUM MANGANOTTIANUM.

- a.* Forma *L. reniformis* BENTH., licet foliis reniformibus, caule gracillimo, farcto; *b.* forma ad *L. bithyicum* BENTH. vergens, foliis minus reniformibus, caule fistuloso; *c.* forma ad *L. striatum* SIBTH. vergens, foliis magis magisque cordato-oblongis, omnibus partibus magis evolutis.

Fig. 2. — CHEIRANTHUS JACOMELLI.

- d.* Siliquae pars superior cum stylo et stigmate duplo aucta; *e.* pilus bifurcatus fere in tota planta sparsus, octuplo auctus; *f.* semen duplo auctum, cotyledonibus accumbentibus; *g.* seminis sectio transversalis.

TAB. V. Fig. 1. — ÆGILOPS NOTARISH.

- a.* Valvula sesquidiametro aucta; *b.* palea inferior sesquidiametro aucta; *c.* Palea superior sesquidiametro aucta; *d.* cariopsis e dorso visa et duplo aucta; *e.* cariopsis e facie visa.

Fig. 2. — TUNICA ORFANIDESIANA.

- f.* Bractea ex interioribus, cum sequentibus sesquidiametro aucta; *g.* bractea ex exterioribus; *h.* calyx quinquefidus; *i.* petalum; *m.* valva; *n.* valva extrema maturitate apice truncata.

TAB. VI. Fig. 1. — CICHORIUM BYZANTINUM.

- a. Capitulum duplo auctum, ligulis anthodium vix superantibus; b. achenium triplo auctum et a dorso glabro visum; c. achenium a facie costata transverse rugulosa visum.

Fig. 2. — ANTHEMIS SISMONDAEANA.

(Clar.^{mo} Eugenio SISMONDA Hist. Nat. Prof. et Palaeontolog. cultori dicata).

- d. Receptaculum sectum cum sequentibus duplo auctum; e. paleae; f. achenium radii; g. achenium disci excentricum; h. achenium disci centrale.

TAB. VII. Fig. 1. — TRIFOLIUM MENEGHINIANUM.

- a. Flos, ex sicco, magnitudine triplo auctus; b. calyx magnitudine sextuplo auctus.

Fig. 2. — TRIFOLIUM PETRISAVII.

- c. Flos, ex sicco, magnitudine quadruplo auctus; d. calyx magnitudine sextuplo auctus; e. semen magnitudine quintuplo auctus.

TAB. VIII. Fig. 1. — ALLIUM WEBBII.

- a. Flos duplo auctus; b. perigonii phyllum cum stamine tripla magnitudine auctum; c. capsula dupla magnitudine aucta; d. semen dupla magnitudine auctum.

Fig. 2. — POTENTILLA BUCCOANA.

- e. Receptaculum columnare! dupla magnitudine auctum.







Magnif. Linn. del.

Linnaeus sc.

Ranunculus Camozianus





Angl. *barbatus* det.

Dianthus barbatus

1832






Fig. 1.



Fig. 2.

Author delin


Laurat, Lith. F. Dreyer

Scand. Exp. arbor.

Fig. 1 *Aphodellus Moroccanus*.

Fig. 2 *Polygnum Gerardianum*.





André arde Yverni Lith. F. Dejon Sava Lyp. arde

Fig. 1. *Lonicera Mangonielliana*. Fig. 2. *Chionanthus Fowellii*.





Labillardiere

James Smith Esq. del.

Forster sculp.

Fig^a 1 *Agelops Volcanici*

Fig^a 2 *Cercas Cyanitarum*





Fig. 1.

Fig. 2.

Auctor. anon.

Varia. Edh. F. Pagan.

Ensa. Sup. 1850.

Fig. 1. *Cichorium lysanthum*

Fig. 2. *Lactuca Simmondsiana*





Fig. 1

Fig. 2

Asclepiades

Taurini; Lillo F. Degen

Scutellaria

Fig. 1 *Trifolium Menophaeanum* Fig. 2 *Cypselium Lasiarum?*





Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1. *Allium Webbii*

Fig. 2. *Stenoloma Burmanni*

De Ge

T. Dege del. F. Degen sculp.

Tab. VIII.



Clementi, Giuseppe / Settimane Clementine
3 5185 00109 9447



